

R

THE
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF TORONTO

Catalogi.

Plutes

R. & 13.

Oct.

~~C 21 S.
58~~

SIGNA ECCLESIAE,

Seu

VIA FACILIS

in notitiam Ecclesiæ

à

CHRISTO

Institutæ perveniendi

Proposita

Henrici à a c^o Anna.

REVERENDO PATRE

JOANNE RAICSA

è SOCIETATE JESU,
Claudiopoli in Transylvania.



Cassoviae Typis Academicis,
per Joan. Henr. Frauenheim, 1725.






AD LECTOREM.


Non pridem, dum ad Amicum in
negotio Spiriualis annuarium
nundinarum tempore diversissim, re-
peri apud eundem diversarum Religio-
num Cives, de controversiis fidei inter
se disceptantes. Eâ occasione personam
Scytha ab Oriente venientis quidam
induit, fidem salvificam se velle am-
plicti proposuit, ac quanam illa esse,
quaesivit? Ad quasirum dum unusquis-
que respondisset, suam esse salvificam;
fictus Scytha ad Calvinistam conversus,
ex eo querebat, cur Religionem suam
diceret veram pra Lutherana, Unita-
ria? &c. responsi loco accepit: quia,

inquit, Religio Calviniana est verbo
DEI consensanea, habet puram verbi
DEI prædicationem, legitimam Sacra-
mentorum administrationem; addebat-
que, id esse evidens Spiritum DEI hu-
benti, & cui id evidens non esset, eum
Spiritu DEI carere. Quod audientes
ceterarum Religionum Cultores, exclu-
mavunt singuli, suam, non Calvinianam
Religionem esse verbo Dei conformem;
in sua, non in alia esse puram verbi
Dei prædicationem, & legitimam Sa-
cramentorum administrationem, &c.
Urgebat Scytha, & petebat, argumento
tali ut aliquis eorum proberet, suam Reli-
gionem esse verbo Dei conformem, in-
ea esse puram verbi DEI prædica-
tionem, &c. quod argumentum nulla alia
Religio sibi vendicare posset. Hic quid-
quid argumentorum pro sua parte ad-
ducebat Calvinista, suis Religionibus
applicabant, Unitarius, & Lutheranus,
& vice versa. Post longam contentio-

nem

uem intuitus Scytha Catholicum habet-
nus racentem, ex eo perconzabatur, an
non argumentum tale haberet? Respon-
dit is omnino sibi ejusmodi argumentum
non deesse, ac silentio ab illis impetratō
ostendit; Ecclesiam debere esse Unam,
Sanctam, Catholicam, & Apo-
stolicam, quibus ritè explicatis, pro-
bavit, signa hæc nulli alteri Religioni
convenire, quam Romanae. Delectatus
Civium discursu, iisdem promisi, me
Tractatulum de Signis vera Ecclesia
conscripturum. Quia ergo paucula ex
Bellarmine, Becano, Pazmanno, Lessio,
&c. collegi, in Dialogos redacta tibi L.
B. offero, ex his clare percipies Religio-
nem Romanam esse illam, quam Aposto-
li predicaverunt, Domino coo-
perante, & sermonem con-
firmante sequentibus si-
gnis. Marci 16.20.





INDICULUS DISCURSuum.

Diss.

Pag.

1. Religio ex eo præcisè, quod pro se Sacram citet Scripturam, non debet censeri à Christo esse fundata. 1.
2. An quilibet in sua Religione salvari possit? 4.
3. Quantum malum sit hæresis? 11.
4. De Dono Fidei. 16.
5. De Signis Ecclesiæ ab Acatholicis adstricatis. 19.
6. Nota veræ Religionis studium perfectionis 26.
7. Vera Religio licentiam peccandi excludit. 35.
8. Religio Sancta, quæ Sanctos habet 49.
9. Religionis veræ Testimonia Miracula 60.
10. Suspectæ debent est Religiones, & earum Authores, si Miraculis destituantur 71.
- II. Ad Ecclesiam Christi Gentes converuntur. 84.

- ¶)(o)(¶)
12. Ecclesia à Christo fundata debet esse Catholica. 93.
 13. In Ecclesia debet esse successio Apostolica. 108.
 14. De missione Lutheri, Calvini, Serveti. 119.
 15. Doctrina Ecclesiae Romanæ congruit cum Apostolica, habet certam decisionem Controversiarum; extra hanc nulla doctrinæ soliditas. 128.
 16. Novæ Religiones antiquarum heresum errores colligunt, credendi regulâ carent. 134.
 17. Non Christi, sed Sathanæ Ecclesia nititur ad sui propagationem, & propagationem dolo malo, fraudibus, & mendaciis. 148.
 18. Religiones novas esse contrarias doctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ, paucis ostendit. 163.
 19. Theodorus Romanam Religionem amplexus gravi morbo corripitur; dum cum morte luctatur, rationem reddit, cui in Romana Religione moriatur. 179.



(5)(o)(5)

Errata sic corrigē

Pag.	Lin.	Errata	correcta
11.	ult.	vitur	videtur
14.	15.	plenaṁ	plenum
22.	9.	ap	ad
28.	21.	fīdem	fīdem
42.	15.	magis	minus
115.	18.	comendovit	comendavit
138.	4.	suppositium	supposititium
141.	11.	confui	constitui
144.	21.	Unde	Unde
245.	26.	eim	enim
146.	18.	eorum	earum
147.	28.	frequente	frequenter
152.	13.	cædunt	cedunt.



DIS-



DISCURSUS PRIMUS.

*Religio ex eo præcisè, quòd pro se
Sacram citet Scripturam, non debet
censeri esse à Christo fundata.*

*Catholicus, Calvinista, Lutheranus,
Unitarius, Theodorus.*

Cath. **Q**uantus accursus populi ad nundinas hodiernas! *Lutb.* Profectò non facile obser-
vavi tantam frequentiam, præter indige-
nas adsunt orientales plurimi. *Calz.*
Propinquat quidam Tartaro similis, ve-
ste, & vultu Scytham referens. *Unit.* Vi-
detur esse similis uni de septem Capita-
neis Scythurum. Salve bone vir: quod
nomen tibi? quod genus est? quibus ve-
nisti ab oris? *Theodori* nomen in bapti-
smo accepi; sangvis vester sum. Annō
1690. Transylvaniā depopulantibus
Barbaris cum Parentibus meis infans ho-
fli in prædam cessi; abductusque procul
in orientem venundatus fui: in exilio
mihi, timorem DEI Conditoris cœli, &
terræ, seriò inculcârunt genitores, ac æ-

Pa

1
1
2
2
4
11
13
14
14
24
14
15

rumnis confecti, morti vicini per omnia
 Sacra sunt obtestati, procurarem redditum
 in Patriam, me in Christiana Religione
 erudiri facerem, eamq; usque ad ultimum
 vitae halitum colerem. Ea de causa, Cœ-
 leste Numen assiduè precatus, tandem gra-
 tiam obtinui, ut ad dulce patrium Solum
 regredi meruerim. Vos proinde per sa-
 lutem vestram obtestor, me rudem in fide
 Christiana eruditote. *Cath.* Viri fratres,
 Gentilem hunc nostrum sic in Religione
 amplectenda instruamus, tanquam pro a-
 nima ejus gravissimam reddituri ratio-
 nem. *Iuth.* Quid interest, in quacunq;
 Religione ex nostratisbus sit, dummodò
 piè vivat, satis illi erit prospectum, &
 animæ saluti consultum; siquidem Chri-
 stianæ Religiones omnes sint fundatæ in
 Scriptura sacra. *Theod.* Ergo plures
 sunt apud Christianos Religiones! *Unit.*
 Plures omnino, nos quatuor præsentes,
 singuli aliam, atquè aliam observamus.
Theod. Quam igitur ex pluribus ample-
 cit debedo? *Cath.* Cautè, & prudenter in
 hoc negotio procedere debes. Quævis
 Religio se dicit veram, & salvificam, à
 Christo fundatam, cùm tamen unica tan-
 tūm ex iis vera sit, reliquæ falsæ, & Deo
 exosæ; dogmata enim sibi contraria te-
 nent, & quod una dicit à Deo reuelatum,

vel

vel præceptum esse, alia negat: quod una tenet, & usurpat tanquam ad Dei cultum pertinens, alia tanquam idololatriā detestatur. Falsæ Religiones se palliant verbō Dei, pro se adferentes sacræ Scripturæ Textus, quos pro libitu perperam interpretantur. *Theod.* Si quælibet dogmata sua in Scripturæ Textibus fundat, quomodo posset esse falsa, cùm Scriptura sacra, ut à parentibus audivi, sit Verbum Dei, qui nec falli, nec fallere potest? *Cath.* Monetæ bonitas vel maximè observatur à figura, quam impressam habet, sic aureus Transylvanicus Cæsaris effigiem cum aquila bicipiti insigne Principatus complectente præferens, per se justus censemur: at num omnem nummum auri speciem habentem, ac diætam effigiem, atque insignia ostentantem justum aestimabis? *Theo.* Deceptus sum proxime, dum loco Lysimachi cuprum inauratum ab impostore accepi. *Cath.* Sic est, sunt plurimi impostores, qui falsam cudent monetā, vili massæ pretiosam imprimunt figuram. In quo igitur erâsti, dum ab impostore loco auri cuprum accepisti? *Theod.* Non solum figuram debebam obseruare, sed etiam signa veri auri examinare. *Cath.* Bene dicis, sic & in Religio-
nis negotio procede, non solum id con-

sidera, an pro se citet Scripturam, quæ
 ornat Religionem, velut figura monetam;
 nam omnes, quotquot fuerunt, & sunt,
 falsæ Religiones, hanc sibi applicant, &
 ad sua falsa dogmata malè detorquent;
 imò & Diabolus tentans Christum, Scri-
 pturam allegavit: sed simul expende, an
 hæc pretiosa figura sit justæ massæ impres-
 sa, cujus signa si desint, concludito Reli-
 gionem nihil valere, hac non obstante fi-
 gurâ. Ausculta ergo, dum nos suo tem-
 pore discurremus de signis veræ Religio-
 nis, & cui signa hæc convenire deprehen-
 deris, eam amplectere. Vade interim,
 quietem cape, lassum ex longo itinere
 refocilla corpus, tum nos conveni; Spi-
 ritus Sancti gratiam autem semper im-
 plora, ut te illuminet in hoc summi mo-
 menti negotio.

DISCURSUS SECUNDUS.

An quilibet in sua Religione salvari possit?

Lutb. **T**Otos hæreo Perculsus sermone
 Pastoris nostri, quem hodie fe-
 cit ad populum. **Calv.** Quæ fuit mate-
 ria didionis ejus? **Lutb.** Diluvium uni-
 versale mundi, quō Deus scelera generis
 humani punivit, exposuit: qualiter ni-
 mirum Noë vir iustus sceleratos monue-
 rit,

rit, ab iniuitate desisterent, fructu nullo sequuto, Qualiter arcam, seu navim ex lignis firmis 100. annis fabricaverit, deidentibus eum mortalibus. Qualiter omnne genus animalium in eam ingressum sit, eaque secutus Noë cum uxore sua, ac tribus filiis Sem, Cham, Japhet, eorumq; uxoribus. Qualiter item diluvio secutò Arca fuerit jactata, non tamen mersa. Qualiter demum totum genus humanum extra Arcam repertum miserabiliter perierit, obrutum aquis, solæque octo animæ beneficiò Arcæ salvæ factæ sint. Cath. Memorabilem tragœdiam profectò exposuit, credo explicavit etiam structuram Arcæ? Luth. Explicavit fusè. Cath. Non dubito explicavit etiam sensum ejus mysticum? Luth. De hoc ne verbulum quidem in medium attulit. Cath. Audi igitur à me, quod ille dicere neglexit. Arca illa significat Ecclesiam Dei. Fabricata illa fuit ex lignis firmissimis: Ecclesia Dei ex omnibus Gentibus nunquam defeturis. Arca 100. annis est ædificata: Ecclesia ab exordio mundi ædificari cepta, porro ædificabitur ad finem mundi. Ad consummationem Sanctorum Ephes. 4. 12. Arca in fluctibus natavit, non tamen mersa est: Ecclesia inter persecutiones fluctuat, non mergitur. Arca omnis geris

neris animalia recipiebat: Ecclesia è Genitibus, Judæis, itemque ex bonis, & malis est collecta. Denique uti extra Arcam nulla fuit mortalibus salus relieta, sic neque extra Ecclesiam. *Luth.* Sic est omnino, ut quis salvetur, necesse est, ut sit in Ecclesia, id est, in Christum credere debet; non verò necesse est, ut sit determinatè potius Religionis Romanæ, quam Lutheranæ, Calvinianæ, vel Unitariæ; quisque enim salvari potest in sua Religione, modò in Christum credat. *Cath.* Etiam nuper hæc inconsiderata verba effutivisti, videris esse ex iis, qui ex Lutherana, Calviniana, & Unitaria Religione unam conflare volebant. Ne ergò in errore diutius mancas, verba tua ad examen accipiamus. *Quisque salvari potest in sua Religione, modò in Christum credat.* Duplex horum verborum potest esse sensus: primò, omnes posse salvari, modò in Christum confusè credant; etiam si non credant in particulari præcipua mysteria de Christo. *zdò.* Si credat 12. Articulos fidei in Symbolo contentos. Primum falsum esse ostenditur; nam primò, si sufficit ad salutem consequendam, ut confusè credatur in Christum, omnes Hæretici salvari poterunt, Unitarij, Donatistæ, Pelagiani, &c. omnes enim credunt in Christum, ta
lique

lique modò zizania à Diabolo seminata
in medio tritici, non ad comburendum
essent colligenda in fasciculos, juxta
Matth. 13. 30. sed in veherentur in horre-
um cœlestis Patrisfamilias.

II. Si quis potest salvari in sua Religi-
one, modò in Christum credat, cur à Ca-
tholica Religione recessistis, cùm in ea
salvari possitis? cur monasteriis, templis,
bonis Catholicos spoliastis? quid neces-
se est tot excogitare lites, doctrinam ca-
lumniari? cur non reditis ad fidem Ro-
manam, ut servetur pax, & tranquilli-
tas?

Cato. Scriptura videtur docere, fidem
in Christum sufficere ad salutem. Dicitur
enim Joann. 3. 15. *ut omnis, qui credit in
ipsum, non pereat, sed habeat vitam ater-
nam.* Cujus ratio esse potest, quia qui te-
net fundamentum fidei, potest salvari;
Christus autem est fundamentum fidei, ut
ait P aulus 1. Cor. 3. 11. ergo qui credit
in Christum, potest salvari: jam autem in
omni Religione Christiana creditur in
Christum; ergò in omni Religione Chri-
stiana salus obtineri potest. *Cath.* Dum
Christus dixit: *ut omnis, qui credit in
ipsum, non pereat.* Locutus est speciatim
de sua divinitate, ut patet ex contextu:
*Sic Deus dilexit mundum, ut omnis, qui
credit*

credit in eum, non pereat. Et infra: qui
 credit in eum, non judicatur: qui autem
 non credit, jam judicatus est, quia non cre-
 dit in nomine Unigeniti Filii DEI. v. 18.
 itaque non sufficit, si credatur in Chri-
 stum in confuso; sed debes credere, qua-
 tenus est Unigenitus Filius Dei. Deinde
 locus iste, & similes, intelligendi sunt,
 quod salus æterna iis credentibus pro-
 mittatur, qui credunt practicè, & verè,
 ita ut nihil eorum recusent, aut omittant,
 quæ vi talis fidei in Christum credi, & fi-
 eri ad salutem, juxta explicationem Ec-
 clesiae opporteat. Apostolus autem cùm
 dicit: Christum esse fundamentum fidei,
 loquitur est de præcipuis Christi mysteri-
 is, prout alibi se explicat, Rom. 1. 4. De
 Divinitate Gal. 4. 4. De humanitate 1.
 Cor. 2. 2. De Passione 1. Cor. 15. 3. De
 morte, sepultura, resurrectione Ephes. 4.
 8. De Ascensione Rom. 8. 34. De sessio-
 ne ad dexteram Dei Patris, & aliis simili-
 bus, quæ singillatim complexus est Atha-
 nasius in Symbolo, ac post illa concludit:
*Hac est fides Catholica, quam nisi quisque si-
 deliter, firmiterq; crediderit, salvus esse no
 poterit.* Ubi per fidem intelligit fidei my-
 steria necessariò credenda, ac potissimum
 mysteria de Christo, quæ sunt fidei Chris-
 tianæ fundamentum. Lutb. Non tam
 late

Iatè intelligo, dum dico quemlibet in sua Religione salvari posse; sed si credat 12. Articulos fidei in Symbolo Apostolorum contentos. *Cath.* Admitto hanc tuam sententiam cum sequentibus limitationibus: I. Si hos articulos credat explicitè, secundùm verum, & legitimū sensum Ecclesiæ. II. Si reliquos ad minus implicitè credat. III. Si nullum habeat errorē veræ fidei contrarium. IV. Denique, si servet mandata Dei. At hæc, bone vir, cùm non possint accommodari Religionibus vestris, iterum sequitur falsum esse, quemlibet in sua Religione salvari posse. Quòd autem accommodari non possint, ostenditur: nam.

I. Vos non creditis explicitè 12. Articulos Symboli Apostolorum; nam illum: credo *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, solum verbō tenetis, re ipsa negatis; afferitis enim sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ primis sæculis post Christum floruit, postea à vera fide defecisse, & adulteram factam esse, & multis sæculis in illa defectione, & prostitutione perdurâsse, ac proinde non amplius mansisse sanctam Ecclesiam Catholicam, sicut antea fuit. Quod si ita est, per illa sæcula nemo potuit dicere: Credo *Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Quod rursus afferendo, quid aliud est fa-

cere, quam hunc articulum ex Symbolo Apostolorum expungere.

P. II. Multos articulos fidei, qui extra Symbolum sunt, nec quidem implicitè creditis. Nam ille dicitur implicitè credere articulos fidei, qui in confuso credit, quod credit Ecclesia, & paratus est in particulari credere, quidquid Ecclesia credendum proponit, quod vos credere parati non estis, sed potius Ecclesiae insultatis, eamque, quasi à vera fide defecisset, & adultera facta fuisset, incusatis.

III. Multa veræ fidei contraria teneatis, inter reliqua, dum Ecclesiam firmamentum veritatis, & columnam, à Spiritu sancto omnia edoctam, errasse dicitis.

IV. Denique præcepta Dei non posse servari dicitis, consequenter non servatis: quomodo enim quis servabit, quod servari non potest? Item ulterius dicere debetis, Christum roganti Adolescenti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam eternam?* Matth. 19. 16. non bene respondisse: *si quis ad vitam ingredi, serva manda ta.* Nam si impossibile est servare mandata, non potest ei prudenter svaderi, ut ea servet. Sermonem prolixum hac de re habere nolo; cùm autem te sciam esse salutis cupidum, svadeo, & rogo, tecum sic ratiocinare: *Opinione mea tantum,*

non verò opinione Catholicorum, possum salvare in Lutherana Religione: at verò in Religione Romana, & mēh, & omnium Catholicorum sententiā salvare possum: ut igitur securius, & prudentius in negotio salutis procedam, amplectar Romanam.

DISCURSUS TERTIUS.

Quantum malum sit Hæresis.

Cath. Quid designat macies, & pallor vultū vestri, fors malum aliquod vobis imminens expectatis? Luth. Totam noctem insomnem egi, Augustini Doctoris scripta rimatus. Cath. Quomodo placet magni hujus Patris doctrina? Luth. Nimium quantum sæverè scribit, ita, ut ad ejus sententiam nullatenus accedere possim. Unit. Quid quæso, legisti in eo, quod improbas? Luth. Non probo, quod legi Librō 4. contra Donatum ait: *Constituamus castum, continentem, non avarum, non idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusq; inimicuns, non contentiosum, patientem, quietum, nullum emulantem, nulli incidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum: nulli utiq; dubium est, propter hoc solum, quod hæreticus est, regnum DEI non possessurum.* Hoc mihi incredibile vitur, cùm nomine hæretici intelligat eum,

qui vel unum articulum fidei cum pertinacia negat. *Calv.* Ego verò legi crudelitatem Matthiæ Corvini Hungariæ Regis, qui Hussitas Budam ingressos ad audientiam admissit quidem; petentes verò sibi copiam Religionis suæ per Ungariam divulgarunt, dum advertisset, Romanæ Ecclesiæ contrarios esse, sinè ulteriori disquisitione unà cum libris vivos in terram defodi jussit. *Catb.* Ergò hoc vos scandalizatus dictum S. Augustini, pura est veritas, Corvini factū laudabile: certè secundūm Jacobum cap. 2. 10. qui unum mandatum Dei transgreditur, etsi reliqua servet, factus est omnium reus, & totam amittit justitiam, idque ex ea ratione, quia contemnit Legislatorem, qui totam Legem tulit: ergo similiter, qui vel unicum articulum pertinaciter negat, etsi reliquos credat, factus est totius fidei reus, totam amittit fidem, quia Deum revelantem contemnit: cùm enim credamus Deo ob summam ejus veracitatem, clarum est, quod si quis vel unicum articulum non credat, non credat Deum esse sumē veracem; qui autem nō credit Deum esse sumē veracem, tam parūm potest regnum Dei sperare, quam ille, qui non crederet esse omnipotentem, vel æternum, vel misericordem, &c. Igitur S. Augustini verba
 veri-

veritas ipsa sunt. Excludit à regno cœlorum, furtum vel unicum, ebrietas, fornicatio, &c. atqui non credere Deum esse veracem, esse hæreticum, longè majus peccatum est supra dictis; ergo hæresis excludit à regno Dei. Putásne salvatum esse Phyletum, & Hymenæum ab Apostolo 2. Tim. 2. 18. condemnatos, qui in eo solo errarunt, quòd crederent resurrectionem jam factam? Audi ulterius, Hæresis quantum malum sit. I. Hæresis continet summam superbiam; facit enim, ut homo judicium suum præferat judicio SS. Patrum, omnium Ecclesiæ Doctorum, omnium Conciliorum, & totius orbis Episcoporum: contemnit enim illos omnes, tanquam homines Dei spiritu destitutos, & sibi soli, ac suis sodalibus hunc spiritum arrogat.

II. Continet multa maledicta, convicia, Christi Sponsam Ecclesiam censet adulteram Sathanæ, Christo perfidam, Filiā perditionis. Illi impingit crimen idolatriæ, & varias superstitiones; in eam fovet summum odium.

III. Ingerit multas blasphemias in Sanctissimam Eucharistiam, Sanctos DEI, & eorum mores.

IV. Omnia Sacra indignis tractat modis.

V. Vicarium Christi vocat Antichristum, & mille in illum probra, & maledicta ja^{ct}at absque ullo veritatis colore, id quod facit in omnes Ecclesiæ Ordines, cunctaque totam Ecclesiam eversam.

Theod. Discurre amplius, quæso, de hæresi. *Cath.* Ego non amplius discurram; aptè enim eam descriptam habes, uti & ejus sequaces in Scripturis sacris, Potest applicari hæresi appositè Apoc. cap. 17. quòd sit meretrix sedens super aquas, ornatu regio, plena nominibus blasphemie, super bestiam coccineam, habens poculum aureum in manu, sed plenam veneno, abominatione, immunditia, invitans potentes, & populos ad bibendum.

Hæresiarchæ verò quantum plaustrum peccatorum post se trahant, enumerat. Paulus 2. Tim. 3. à ꝑ. 1. quòd futuri sint homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemni, scelesti, criminatores, incontinentes, immites, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, servientes suo ventri, qui captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis; quæ si bene persendas, Augustini doctrinam approbabis.

Calv. Quidquid sit de Augustini doctrina, Mathiæ Corvini Regis factum damno.
 Cath. Ne, quælo, censura facta Regum; habuit Mathias notitiam Scripturarum sacrarum, scivit historias Regum, & Imperatorum. Deut. 17. 12. dicitur: qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille. Item cap. 18. 20. Propheta arrogantiâ depravatus, qui volaverit loqui in nomine meo, que ego non precepi, &c. interficiatur. Item in veteri Testamento dicitur, ut puniantur morte blasphemæ. Lev. 24. 16. Seductores. Deut. 13. 6. Idololatriæ. Num. 25. Petrus. Act. 5. 10. Ananiam, & Saphyram morte punivit ob sacrilegium. Item: Jure Cives falsarii monetæ puniuntur morte, ut etiam fures, latrones, noxii Reip. Maximus Imperator subjecit gladio Priscilianum cum suis. Arcadius Eunomianos, & Monothelitas jubet urbe pelli, immo cum ipsis, tum fautores eorum suppicio affici. Honorius similia statuit contra Donatistas. Henricus Rex Vandalorum Manichæos igne plecti voluit. Sigismundus Imperator Hussium, & Hieronymum Pragensem comburi jussit. Hæc Mathias perspecta habens, in Hussitas mortis sententiam dixit: factum proinde ejus nec improba, nec mirare.

Theod.

Theod. Magnum profectò malum est hæresis; audivi semel, alicubi referri in scriptura, pueros illudentes Elisæo Prophetæ Divinitùs punitos: quid non merebuntur, qui illudunt, uti dixisti, Ecclesiæ Dei, hominibus vices Christi gerentibus? Sinite me paulisper hæc perpendere, & orare Deum, ut me à tanto præservet malo.

DISCURSUS QUARTUS.

De Dono Fidei.

Theo. **D**ixisti, quantum malum sit hæresis; dic aliquid in commendationem fidei. **Cath.** Necesitatem fidei exponit sacra Scriptura, Hebr. 11. 6. **Sinè fide impossibile est placere Deo.** Joan. 3. 18. **Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.** ¶ 36. **Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.** Gal. 5. 6. **In Christo Jesu neq[ue] circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.** Hab. 2. 4. **Qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso; justus autem in fide sua vivet.** Utilitatem, Marc. 16. 16. **Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit;** qui verò non crediderit, condemnabitur.

Jean.

Joan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Marc. 9. 22. Si potes credere, omnia possibilia sunt credentii. Philip. 3. 8. Existimmo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercore, ut Christum lucifaciam.

Dignitatem, Bar. 4. 4. Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Psal. 147. 20. Non fecit taliter omni nationi, & judicium sua non manifestavit eis. Colos. 1. 12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui evipuit nos de potestate tenebrarum, & translatus in Regnum Filii dilectionis sue.

Est fides lumen animæ, ostium vitæ, & salutis. Est fundamentum, & radix omnis virtutis; quidquid meriti, & beatitudinis anima suscepturna est, ex fidei radice procedit. Fides purgat peccata, vivificat animas, illuminat cœcas mentes, miracula operatur, in omnibus triumphat, atque æterna felicitate in se perseverantes coronat.

Est fides donum rarum, paucis datum, si infinitum vel errantium, vel dubitantium

um numerum species, eoque etiam nomine pluris aestimandum. In rebus humanis dono fidei nihil comparari potest: non voluptates, non honores, non auri, vel argenti myriades, non sceptra, non imperia. His omnibus veræ fidei Margarita infinites est pretiosior. Qui illam possidet, hic verè diyes est, et si à rebus terrenis inops, utpote civis Sanctorum, Filius Dei, hæres Regni, cohæres Christi; si tamen fidei conformiter vivere velit. Qui verò dono fidei caret, is miserrimus est, et si omnibus vitæ hujus bonis, ac deliciis circumfluat. Fides est certissima, & unica ad æternam beatitudinem via, à qua quicunque deflexerit, in exitium ruet sempiternum. Infelices proinde illi, qui vel placendi hominibus studiō, vel timore damnorum, aut mortis temporalis, vel spe lucrorum, vel ambitu honorum, vel aliam ob causam tantum bonum prodigunt. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Mar. 8. 36. Non ergo vereamur fidei retinendæ, vel amplectendæ causā, omnia exponere, quā si careamus, vitam æternam amittimus. Infelices & illi, nec nomine Christiano digni, qui parvi faciunt fidei

fidei orthodxæ oppressionem, modò pace,
 & commoditate temporali, ad reculas, &
 quisquilias hujus vitæ congregandas, vel
 retinendas frui possint: magnô stabit il-
 lis hæc amentia, & vilipensio tanti boni,
 postquam breve hujus vitæ momentum
 prætervolaverit, & ad interminabilem
 æternitatem repente fuerint devoluti.

DISCURSUS QUINTUS.

De signis Ecclesiæ ab Aæcatholicis adstrutis.

Luth. **Q**uid non potest inter mortales
 odium, & vindictæ sitis! in-
 cendi. **Q**uæ conducti, uti rumore certo
 refertur, passantur per Regnum. *Calv.*
 Ego verò majus malum significo, quod
 ferè ex certa scientia habeo: audio medi-
 cos omnes nuper apud nos incolatum
 mercatos, meros esse impostores, condu-
 ctos, & missos ex inimica provincia ad
 nos perdendos; proinde porrident hi
 nobis sub specie medicinæ venenum; à
 quibus vitæ petemus prorogationem,
 mortem acceleratam accipiemus. *Unit.*
 Utinam contenti fuissimus nostro anti-
 quo medico, viro probo, in sua arte pe-
 ritissimo, cujus præscriptiones, & medici-
 næ omnibus passim profuerunt. *Theod.*
 Longâ ego conficiar heæticâ tabe, medico
 mihi

mihi opus est, quæso indicate mihi, quis bonus sit ille medicus, date ejus signa, à quo sanitatem expectem, ut illum accedam; cùm enim nullum medicorum noscam, metuo, ne fors accedam talem, qui locò medicinæ virus propinet. *Catb.* Nihil sis sollicitus de signis, accede illum, qui salubres præscribit medicinas, ille te curabit. Vel certè, si signum quæris boni medici, illum accede, qui re ipsa curat infirmos; ille enim est bonus medicus. *Catb.* *Luth. Unit.* Quàm ineptè eum dirigis ad bonum medicum, hoc est nugari in re seria, vel illudere, non verò dirigere: si bonus hic vir quemcunque medicum interroget, an salubres præscribat medicinas? an re ipsa infirmos curat? quilibet respondebit, se id præstare, etiam si impostor sit. Accedit: quòd, dum quæritur signum boni medici, quæritur signum illius, qui salubres præscribit medicinas, qui re ipsa infirmos curat, per hæc enim constituitur bonus medicus. Vide ergo, quàm ineptè discurras. *Catb.* Sic discorro, ut palpetis, quàm absurdè discursatis vos de signis veræ Ecclesiæ, dum ea à vobis petimus. Aliqui dicitis, ad cognoscendam veram Ecclesiam non multum juvare inquirere in ejus signa, sed satis esse cognoscere ejus salutarem doctrinam.

đrinam, quæ Ecclesiam veram constituit. Sic Unitarii apud Crellium. Alii comu-
niter dicitis, signa veræ Ecclesiæ esse sin-
ceram verbi Divini prædicationem, & le-
gitimam Sacramentorum administratio-
nem, qui discursus quām sit ineptus, per-
pendite; dum quæritur, quæ sit vera Ec-
clesia, idem quæritur, ac quæ sit Ecclesia
illa, cujus doctrina est salutaris; quæ sit
Ecclesia illa, in qua sit legitima Sacra-
mentorum administratio, sincera Verbi
Divini prædicatio: ego dico, hæc in
mea reperiri, Lutheranus, Ariannus, Calv.
Unit. & quilibet Acatholicus in Religio-
ne sua: bonus hic vir vult veram reipsa
Ecclesiam amplecti, quærit ejus signa,
datis talia, quæ sibi quævis Religio arro-
gat; judicate jam, an non æquè temerè
aget, si ob nudam assertionem, vestræ ad-
hæreat Ecclesiæ, eò quòd dicat suam do-
ctrinam esse salutarem, se habere legiti-
mam administrationem Sacramentorum:
sinceram Verbi Divini prædicationem:
atque si in allato casu medicorum, alicui
eorum se commitat, eò quòd ab illo au-
diat, suas præscriptiones esse salutares, se
feliciter curare infirmos.

Theod. Suntne ergò alia signa, ex qui-
bus clarè cognosci possit Ecclesia vera?
Cath. Sunt omnino: quia nemo potest
extra

extra veram Ecclesiam salvari: at non omnes sciunt, uti nec tu scis, quæ sit vera Ecclesia; cùm sint Ecclesiæ variæ, Catholica, Lutherana, &c. ex quibus tamen necesse est unam tantum esse veram, si quidem veræ Ecclesiæ fundamentum sit vera fides, quæ nō potest esse multiplex, juxta illud Eph. 4. 5. *Unus Dominus, una fides:* ergo ap providentiam DEI spectabat, ut signa, seu notæ veræ Ecclesiæ relinquenterunt, ex quibus cognosci possit. Quoad hæc signa autem tibi nota sequentia:

I. Omne signum naturâ suâ esse sensibile, & aptum ad manifestandam rem, cuius est signum. Hinc dixi, prædicationem sinceram Verbi Divini, legitimam Sacramentorum administrationem, non esse signa veræ Ecclesiæ; quia hæc nullo sensu possunt percipi; imò ne ab intellectu quidem, nisi fide illuminato, quia nemo scire potest, quæ sit sincera Verbi Divini prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio; nisi per fidem.

II. Signum rei, debere esse notius ea re, cuius est signum. Ideo enim ponitur, ut sit indicium, quô res aliqua cognoscitur: hinc rejici signa ab Acatholicis prætensa, tanquam non signa veræ Ecclesiæ; cùm notiora non sint Ecclesiâ verâ; siquidem

dem tam est ignotum, ubi sit sincera Verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio, quām est ignotum, ubi sit vera Ecclesia.

III. Signa veræ Ecclesiæ, ita debent esse veræ Ecclesiæ propria, ut ea, ad minus simul sumpta, Ecclesia non vera sibi non possit appropriare. Hinc cùm legitimam Sacramentorum administrationem, & sinceram Verbi Dei prædicationem, omnes Religiones sibi arrogent: hæc à ratione signorum etiam ex hac ratione rejici.

IV. Signa veræ Ecclesiæ debent posse cognosci tam ab Ethniciis, quām à fidelibus, tam doctis, quām indoctis, cùm omnes Christus vocet ad Ecclesiam. Hinc cùm nonnisi à fidelibus, & quidem doctis, callentibus scripturam, possit cognosci, & quidem per fidem, quæ sit legitima Sacramentorum administratio, sincera Verbi Dei prædicatio, rursus etiam ex hac ratione, hæc à ratione signorum veræ Ecclesiæ rejici.

Unit. Quæ ergo tu adferes signa veræ Religionis? *Cath.* Sicut Sol per suum splendorem, & diffusos lucis radios cognoscitur facile, ita & Ecclesia vera per solem adumbrata, juxta illud: *In sole posuit tabernaculum suum,* Psal. 18. 6. ejusmodi

modi habet signa, per quæ facilè dignoscitur ab Ecclesiis non veris; horum aliqua adducam, ea præsertim, quæ P. Leon. Iessius in considerationem adducit, quæ tamen reducuntur ad 4. in Symbolo Nicæno, quod & Acatholici recipiunt recensita: ait Symbolum *& unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam,* ea scilicet Ecclesia est vera, quæ est *una, sancta, Catholica, & Apostolica.*

Una autem erit Ecclesia: I. Si omnium in illa sit una fides, & doctrina. Eph. 4. 5. & 13. Act. 4. 32. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, I. Cor. 14. 33. II. Si omnes sint uniti cum suo capite, est enim Ecclesia corpus Christi, Rom. 12. 5. Corpus autem debet esse unitum capiti.

Sancta erit I. Si ejus doctrina sit *sancta;* si enim falsa, & impia doceat, quomodo erit *sancta;* cùm lex Domini sit *immaculata,* Psal. 18. 8. II. Si habuerit *Sanctos,* quos non solum ipsa, sed etiam ejus adversarii tenent pro *Sanctis;* vera enim *Sanctitas* extra Ecclesiam esse non potest, sicut nec vera fides, cui tanquam fundamento iñtititur vera *Sanctitas.* III. Si ad fidē, quæ *sancta* est, infideles in terris barbaris converterit; nam *Lex Domini immaculata convertens animos,* Psal. 18. IV. Si ejus primi Authores fuerunt viri *santi,*

sancti, quia non potest arbor mala bonos fructus facere, Matth. 7. 18. V. Si ex eius doctrina sequantur mores sancti, contemptus temporalium rerum, emendatio vitæ, castimonia, &c. ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Catholica erit I. Tempore, si omnibus sæculis eandem doctrinam invariatam semper tenuit; vera enim Ecclesia in fide errare non potest, & deficere, Luc. 22. 32. Matth. 16. 18. Item 28. 20. Eph. 4. 12. defecisset autem, si aliquando in fide, vel doctrina variasset. II. Locô, si tenet doctrinam, quæ omnibus locis docta est: Catholicum enim est, id tenere, quod semper, quod ab omnibus, quod ubique creditum est, ut ait Vinc. Lyr. in 3. cont. Hæreses. III. Cognomine, si tam ab hostibus, quam amicis appellata sit Catholica. id enim est nomen proprium Sanctæ Ecclesie, Matris omnium nostrum, ut ait Cypr. Cath. 18. & ut ait Aug. cont. Epist. Fand. c. 4. ipsi quoq; Hæretici Schismatum alumni, quando nō cum suis, sed extraneis loquuntur, Catholicam, nibil aliud, quam Catholicam (id est, non suam) dicunt. IV. ortu, si à nullo alio homine originem, aut nomen ducat, quam à Christo; nam qui ab alio ducunt originem, & nomen, hæretici, non Catholicí appellantur.

Apostolica erit I. Si successionem Episcoporum ab aliquo Apostolo, usque ad nos demonstret; si enim hoc non possit, non potest etiam demonstrare doctrinam suam esse Apostolicam, cum ea ab Apostolis ad eorum Successores debuerat propagari. II. Si habet legitimos Sacerdotes, & Episcopos legitimè consecratos, & missos; quia Ecclesia sine Pastoribus, & Episcopis esse non potest. Eph. 4. 11. III. Si claruit semper Apostolicis miraculis: Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo, &c. Marc. 16. 17. 18. IV. Si prædictionibus Apostolicis claruit; nam & hoc donum veræ Ecclesiæ promisit Deus, Joël. 2. 28. Isai. 44. 3. & re ipfa Act. 2. 17. in prima Pentecostes exhibuit.

DISCURSUS SEXTUS.

Nota veræ Religionis studium perfectionis.

Theod. Quid novi video! quale monstrum nobis propinquat? homo saccō indutus, fône præcinctus, nudipes, capite mirabiliter tonsus, quale hoc genus hominum? *Luth.* Est sacrificulus Papistarum; multos huic similes habet Romana Religio; vocantur apud eos Religiosi, cum tamen sint cultores superstitionis. *Theod.* Aveo scire horum professio-

fessionem, & vivendi modum. *Luth.*
 Hi, uti à Papistis audivi, plerique in flore
 ætatis sæculo valedicunt, à carnis volu-
 ptatibus abstinent, uxores nunquam du-
 cunt, vel cogitationem lascivam fugiunt,
 taceo verbum, vel quid amplius. Reli-
 gatis in sæculo opibus, paupertatem co-
 lunt, proprii, quod suæ liberæ subefset
 dispositioni, nihil tenent, contenti viatu,
 & vestitu à Religione procuratis: non iis
 licet aliquid dare, vel accipere sine scitu,
 & consensu fui Prælati. A Superioris nu-
 tu pendent omnes, hoc jubente, jam in
 hac, jam in illa degunt civitate, jam hoc,
 jam illud incolunt domicilium, hodie
 unum, cras aliud gerunt officium, qui
 hodie apud plerosque est Prælatus, cras
 efficitur alterius subditus, magisque ap-
 petunt subesse, quam præesse. *Theod.*
 Mira narras; explica ulterius mores eo-
 rum. *Luth.* Licet omnes, quam expli-
 cui, paupertatem, casitatem, & obedien-
 tiam voveant in Religione, & in hoc co-
 veniant; diversum tamen inter se tenent
 vivendi modum in quibusdam. Alii e-
 nam vitam privatam agunt, eremos inco-
 lunt, hominum conspectum fugiunt, an-
 tris, & cavernis se se includunt, vel certè
 de Monasteriis rarissimè exeunt, silentium
 ferè perpetuum servant, nec lingvam,

nisi ad concinendas Deo laudes solvunt. Alii exeunt foras, mendicando vivunt, cum tamen in saeculo abundaverint, licet omnes frequentia, & rigida servent jejunia, in corpus suum senviant, illudque variis modis macerent. Aliqui tamen peculiariter carnes nunquam comedunt, cibarium nunquam deponunt. Plerique communiter circa medium noctis somnum abrumpunt, Psalmos Deo decantant, quam Psalmodiam aliquoties interdiu repetunt. Alii horâ 4. matutinâ surgunt, ac partim spiritualibus, partim literariis rebus totum impendunt diem; in Scholis docent juventutem, populum rudem in sua Religione excolunt, pacem inter inimicos conciliant, infirmos visitant, pauperibus stipem corrogant, Fidem Romanam hominibus svadent; quod mirum est, deserit Patrio Solo ad Indos, Tartaros, Sinas, ad fidem amplificandam proficiscuntur; omnes demum in id intendunt ferè semper, animum coelestibus rebus ut impendant; hinc plerumque intrâ annum octiduo integrô continuò solaram cœlestium rerum contemplationi vacant. Quod mirum est, etiam puellæ teneræ, se apud Papistas Monasteriis includunt, ac talem vitam austeraam ducunt. *Theod.* Suntne multi ejusmodi Religiosi apud Papistas?

Luth.

Luth. Numerum eorum scire nō possum,
credo tamen, erunt tot, ut simul sumptuo-
rum numerus constitueret populum justi
Regni, cūm solorum eorum, qui sub Re-
gula Sancti Francisci vivunt, dicantur esse
centum quadraginta millia virorum.

Theod. Compellunturne ad tam duram
vitam amplectendam? *Luth.* Suā spon-
te vadunt ad Claustra. *Theo.* Forte de-
fectu mediorum vivendi in sēculo, se re-
cludunt? *Luth.* Minimè; nam multi
sunt filii Magnatum, Ducum, Principum,
omnes ita talentati, ut in sēculo evasuri
fuissent. *Theod.* Quid igitur eos movet
ad tam asperam vitam amplectendam?

Luth. Persuasio inanis, & superflitiosa;
putant se per hæc DEO placere, nescio
quid meriti apud Deum obtinere, ac de-
mum prœmium se magnum pro his con-
sequuturos in cœlo somniant. Hac per-
suasione ducti, multi apud eos ætate pro-
vecti ineptiunt, desertis dignitatibus, &
commoditatibus sēculo renunciant. Sic
Franciscus Borg. Dux Gandiae, Catalau-
niæ Protex, mortuâ uxore, hujusmodi
amplexus est statum. Carolus V. Imp. se
abdicavit Imperio. Elisabeth Andreæ Re-
gis Filia, mortuô virô, habitum tertii Or-
dinis S. Francisci assumpsit, ac mendica-
bilis servivit. Salamon Rex Ungariæ e-

remum incoluit. Alii cum Henrico Imp.
Emerico, Alexio vitam conjugalem am-
plexi, Sponsas intactas reliquerunt. Alii
aliis operibus, Christi Domini meritis
præjudicantibus se impenderunt, toti in
jejuniis, eleemosynis, orationibus, Mona-
steriis, & Templis erigendis. *Theo.* Ha-
betisne etiam vos hujusmodi sœculi con-
temptores? *Luth.* Superstitiosa sunt
ista, derogant hæc meritis Christi. Non
svadet nostra Religio, ut quis carnem ma-
ceret jejuniō, à carnium esu abstineat.
Vota Religiosa sunt irrita, nec servanda,
castitas impossibilis. Permittit Religio
nostra vitam commodam, svadet in Chri-
stum credere, non verò repudiatis facul-
tatis, paupertatem, in qua Christus vi-
xit, colere. Sequebatur nugas Papisticas
Lutherus noster, affligebat se non exiguō
tempore in Monasterio; posteà tamen à
Deo illuminatus, Monachum exuens,
multos Cœnobitas è Claustris extraxit,
cum quibus, pro libertate Evangelica, ge-
nio indulxit, sociam vitæ assumens rei u-
xoriæ vacavit, quod & tam necessarium
esse docuit, quām edere, bibere, dormire,
Lib. de vita conjug. hinc & Orationis Do-
minicæ quartā petitionem correxit, dum
ei addidit: *Domine Deus, da uxorem, &*
panem quotidianum, in Cap. 4. Genesis.

Theod.

Theod. Doctrina vestra videtur toto cœlo esse diversa à Romana. *Cath.* Velix his, vir bone, potes advertere, à Christo institutam esse, & de cœlo datam Romanam Religionem. Clarum est hoc Religionis veræ signum. Non enim non potest esse cœlestis Religio illa, quæ naturam humanam rebus terrenis, & infimis affixam ab his avellit, & ad cœlestia erigit, quæ amorem temporalium expugnat, & æternorum delectationem inferit; hic enim præcipiens est veræ Religionis finis, & fructus, mentes hominum à rebus terrenis abducere, & ad cœlestia cogitanda, amanda, prosequenda elevare. Nec enim puta ideo Christum Ecclesiam sanguine suô fundâsse, vel pro hominibus passum esse, ut vitam carnalem ducamus, genio indulgeamus, desideriis carnis obtemperantes; sed ut superna quæramus. Religio Romana est, quæ svadet abstinere à voluptatibus carnis, & illecebris hujus vitæ. Svatet divitias, & honores contemnere, iis, quæ possidentur, amore Christi renunciare, jejunii, & aliis corpus mactare, ut caro dometur, & spiritui subjiciatur. In Religione Romana, ut D. Luthe ranus retulit, sunt quam plurimi, quorum nec numerum inire potes, qui CHRISTI consilium sequuti, sæculum, & omnia sibi

chara, & corpori blandientia deserunt, hoc unico fine, ut Deo placeant, ut ei, expediti à rebus terrenis, ferventiū serviant, ut ad Deum suum post mortalis vitæ cursum perveniant. Quis ergò cogitare potest, quod Deus O. M. qui bona data dat petentibus, & Divinam gloriā quærentibus permittat errare in re tanti momenti, qualis est fides, sinè qua impossibile est placere Deo, tantam multitudinem sequentium, & sibi placere studentium? *Iutb.* Multi vestri Religiosi ad nos transiverunt. *Cath.* Transierunt quidam, non ut Deo ferventiū serviant, non ut cœlestia quærant; sed ut liberè secundū carnem vivant. Multi Discipuli etiam Christum deseruerunt. *Duos Evangelicu*s homo in domo sua habuit Filios, unus eum deseruit, ut luxuriosè vivat, per hoc tamē domum paternam non fecit deteriorem. *Calv.* Christus vitam talem non præcipit. *Cath.* Non præcipit; ei tamen magna præmia promittit: hanc sequuntur sunt Apostoli, hanc syadet Lex nova. *Calv.* Aliqui vovent, & non servant. *Cath.* Verum est, exemplō Lutheri, & Calvini non servant; at quid indè sequitur? plurimi, & plerique servant; & si qui non servant, per hoc vota non sequitur esse irrita, & illaudabilia; nam multi nec præcepta

cepta Divina servant, quæ, hoc nō obstante, quis negabit esse sancta? *Catb.* Videntur hæc superstitionis. *Catb.* Ergo superstitionis erit sectari perfectionis studium? Dicebatis paulò ante vota Religiosa esse irrita, & illaudabilia, nec servanda, castitatem impossibilem. Addite etiam ultiorem Lutheri, & Calvini doctrinam, nimurum: *hominem in omnibus operibus suis peccare, licet hoc peccatum non imputetur.* *zdò.* *Hominem per omnia sua bona opera nihil apud DÉUM mereri, nihil fieri ipsi gratiorem, nihil justiorem, &c.* *3tiò.* *Fidem solam apud Deum estimari, & coronari,* Luth. art. 31. & 36. de libertate Christiana. *Calv. Lib. 3. Inst. cap. 12. §. 4.* & cap. 14. §. 9. Quis hac doctrina stante excitetur ad virtutis studium, bona opera, orationem, jejunium, subfida proximi? si enim in his nihil est meriti, si in omnibus labes est peccati, si nihil præmii, vel utilitatis, quis me ad hæc præstanda permovebit? cur nullo fructu opes deseram, commoda negligam? Hinc vides, quod hæ Religiones bona opera omnia è medio tollant, solamque fidem relinquant; quis autem credat, Christum tot laboribus, sudoribus, tam multipli doctrina, sanguine, & morte sua tam sterilem Religionem colendam nobis constituisse? *Luth.* Iter-

rato dico, superstitionem esse vitam Religiosam, & honorum operum studium; per hæc enim obscuratis meritum Christi, dum operibus vestris vim merendi vitam æternam tribuitis, quasiverò Christi merita non sufficerent. *Catb.* Non obscuramus, bone vir, Christi meritum, sed potius illud illustramus: dicimus enim, quod meritum Christi sit adeò efficax, & universale, ut per illud ipse, non solum nobis vitam æternam meruerit, sed etiam nobis contulerit vires, & facultatem, ut & ipsi nobis eam mereri possimus, quod non est derogare merito Christi: sicut non derogat omnipotentiæ Dei, sed eam extollit, qui dicit, quod omnipotentia Dei, non solum omnia operetur, & producat, sed etiam rebus creatis vim similia operandi, & producendi tribuat; nam excellentiam causæ maximè declarat, si ipsa non solum possit operari, sed etiam aliis vim operandi tribuere. Itaque dum dicimus, Christum non solum nobis vitam æternam meruisse, sed etiam vires merendi contulisse, magis extollimus vim meritioriam ejus, quam illi, qui docent, Christum solum meruisse totum, & nobis nullas vires ad cooperandum meritis suis contulisse. Imò magnam injuriam Christo faciunt, qui hanc vim, & efficaciam Christi

Christo detrahunt; sicut injuriam fecerunt Deo Philosophi, qui docuerunt, Deum solum producere omnia, res creatas vim producendi non habere; quasiverò non posset Deus creaturis vim operandi, & cooperandi tribuere. Bene verò injuriam Christo faceret, qui tribueret homini vim aliquam merendi, non acceptam ex meritis Christi; sicut injuriam faceret Deo, qui creaturæ tribueret vim operandi non derivatam ab omnipotentia Dei. Porro sicut operationes creaturarum derivantur ad Deum, tanquam authorem omnium, quia ipse vires ad eas contulit, & simul cum creaturis, tanquam causa universalis efficiens concurrit: ita omnia merita hominum justorum referuntur in Christum, tanquam authorem omnium, quia ipse vires ad ea contulit, & simul cum illis ut causa universalis meritoria concurrit. Capisne hæc? si hæc capis, sapias, & ejusmodi nugas non objicias.

DISCURSUS SEPTIMUS,

Vera Religio licentiam peccandi excludit.

Theod. **M**ira hodie observavi in templo: omnis fortis homines, Domini, pauperes, senes, juvenes, viri, sœminæque, vultu ad terram dejecto ad

Sacerdotum pedes se abjiciebant, pectus pulsabant, atq; de genibus flexis, nescio, quid ad aures Sacerdotum insuffrabant. Postquam verò Sacerdotes aliquid fuissent locuti, rursum tudentes pectora sua, ac in lachrymas soluti recedebant. Præterea comparuit caterva hominum saccis induitorum, flagellis se usque ad sanguinem dilaniantium: quid, quæso, mysterii in his latet? *Calv.* In Papistico Templo has superstitiones observâsti. Quos Sacerdotum pedibus advolutos vidisti, illi peccata sua patefaciebant; nam Papistæ superstitione credunt, peccata Sacerdoti aperiri debere, & absolutionem peti, ut delictorum remissio, ac venia obtineatur. Unde pœnitentes omnia, etiam occultissima, licet sordidissima, etiam cogitationes ipsas enarrant Sacerdoti, qui, auditis peccatis, eos officii admonet, pœnitentias imponit, jejunia, flagellationes, eleemosynas, & alia pœnalia opera injungit. *Lutb.* Etiam ea de causa se Papistæ flagellant, gestant peracutas ex ferro catenulas corpori appressas, jejuniis se macerant, quod putent per hæc, nescio, quod Purgatorium alterius vitæ se evasuros: Credunt enim, etiam remissâ in hac vita culpâ, non semper remitti à Deo pœnam, sed pro hac debere luere hominem in altero mundo; unde

de ad hanc pœnam evitandam suscipiunt corporis castigationes, & alia opera pœnalia. *Unit.* Audivi, à Sacerdotibus quosdam ad se accedentes sine absolutione, sine consolatione dimitti ex tali confessione, ut, si quis nolit dimittere occasionē proximam peccandi, quam dimittere potest; si ablata nolit restituere Dominis suis; si inimicis recuset reconciliari; quæ quanta est conscientiarum carnificina, libertati Christianæ contraria, meritis Christi derogatoria! *Theod.* Quid autem vos observatis? *Calv.* Habe fidem specialem, sufficit hæc, ut tibi præterita dimittantur peccata, futura nō imputentur. *Nugamenta* illa Papistarum sunt inutilia, *Cath.* Parciūs ista amici. Ex his ipsis, quæ attulisti, debetis concludere, Romanam Religionem vestris præferendam esse; non vestras, sed Romanam esse à Christo institutam. *Calv.* Quomodo id sequitur? *Cath.* Illa Religio est censenda à Christo instituta, & aliis præferenda, quæ nullam tribuit peccandi licentiam, imò hanc excludit: Religionis enim à Christo institutæ est, uti ad perfectionem vitæ excitare, ita etiam à peccatis detergere, Dei timorem incutere, peccata impedire, quod Religio Romana facit multis modis.

I. Per Sacramentum Poenitentiæ, de-

quo sermo inter vos erat; vaide enim homo deterretur à peccando, qui scit, & credit peccata esse singillatim nō tantum quoad speciem, sed etiam numerum exprimendo, confitenda; pro iis pœnitentiam subeundam, si quid susculit, vel proximo injuriæ intulit, compensandum. Deinde in illo Sacramento, præter narrationem peccatorum, requiritur dolor verus, & sincerus de peccato, cum proposito peccata imposterum vitandi. Dantur ibi salutaria monita rectè vivendi, propoundingur media peccata evitandi. Certè sūres bene perpendatur, fateri debetis, Catholicos, non à spiritu malo, qui parenst est superbiæ, sed à Spiritu Dei agi, dum ad confessionem peccatorum excitantur. Considerate enim virum honoratum, & potentem, Principem, apud omnes à probitate vitæ laudatum, interim sceleribus occultis scatentem, eumque verecundum adeò, ut malit mori, quam sua fœda peccata aliis patefici; considerate, inquam, & judicate, an à Diabolo, vel Spiritu Santo incitetur ad hanc sui victoriam, ad hunc humilitatis actum, ut ultroneè, nemine cogente, sed solùm conscientiâ svadente, se ad Sacerdotis pedes abjiciat, peccata occultissima, fœdiissimâq; ei aperiatur, pro iis sibi pœnitentiam imponi petat?

II. Coëcet licentiam peccandi Catholica Religio per doctrinam de satisfactione, & Purgatorio: docet enim, nullum malum apud Deum manere inuitum, remissâ culpâ, & pœnâ æternâ, remanere, plerumquæ obligationem ingentis pœnæ temporalis, quam nisi quis in hac vita per bona opera redimat, luendam defteret post hanc vitam acerbis pœniſ Purgatorii.

III. Absterret à peccatis, dum docet, fidem absque poenitentia non sufficere, nec professe ad remissionem peccatorum; dum docet, ad incurriendam damnationem æternam sufficere unum mortale peccatum.

IV. Dum multis modis incutit homini timorem Dei, variis ejus judiciis, propositis, Dum nunquam vult hominem esse securum de sua salute, sed semper vigilare, orare, semper esse sobrium, bonis operibus esse intentum, ne fors aliquando tentationi succumbat, ne fraude Diabolica supplantetur, vel per inconsiderationem labatur, vel imparatus morte repentina opprimatur. Hinc in Catholicis, qui secundum suam Religionem vivere student, experimur miram sollicitudinem, ut peccata vitent, & si quæ per fragilitatem humanam commiserint, continuo illa expient, & emendent.

Ve-

Vestræ verò Religiones (patienter audite Amici) aperiunt portas ad peccata omnia, ad omnem vitæ impuritatem; timorem DEI excutiunt ex mentibus hominum; hinc non sunt Authore Christo ortæ, cùm Scripturæ ubiq; nobis timorem Divinum injicient, summoperéque commendent; siquidem potissimum indè omnis vitæ probitas prodeat.

Tollitis vos I. Confessionis Sacramentum, quô homines à peccatis abstrahuntur, dicitis esse inventum humanum, carnificinam conscientiæ, meram superstitionem; mirum sanè, si superstitione possit habere tantam vim ad peccata corrigenda, ad tranquillitatem conscientiæ procurandam.

II. Tollitis non tantum confessionem, sed etiam virtutem pœnitentiæ, quatenus negatis, necessariam esse contritionem, & dolorem de peccatis præteritis; ait enim Luth. Assert. art. 6. quod contritio faciat magis peccatorem. Calv. Lib. 4. cap. 19. §. 17. impietatis arguit, qui dicit pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam.

III. Negatis satisfactionis necessitatem, dicitisq; hanc redundare in injuriam satisfactionis Christi. Calv. Lib. 3. cap. 4. §. 38. Luth. in Assert. art. 5. & 6.

IV. Ne-

IV. Negatis Purgatorium, & castigationem temporalem in altera vita.

V. Negatis obligationem ullam poenae temporalis remissam culpam remanere.

VI. Docetis folam fidem sufficere ad remissionem omnis culpae, & poenae, nec aliud requiri. Luth. in Assert. ar. 1. Calv. Lib. 3. cap. 14. §. 17.

VII. Dicitis habenti fidem specialem, nullum peccatum imputari. Luth. de Lib. Christia. Calv. Lib. 3. cap. 4. §. 28. Hac ratione Lutherus dicebat, Decalogum non magis ad nos pertinere, quam cæmonias Legis Veteris; sed omnem ejus obligationem pariter esse sublatam per Christum, nimirum quia non magis imputatur ejus violatio credentibus, quam violatio Legis cæterinalis. Calv. Lib. 2. cap. 3. §. 13. nostram libertatem esse ait, non posse peccare, quia nimirum, ut ait Lib. 2. c. 17. §. 4. Effectus effusi Sanguinis Christi, ut non imputentur peccata.

His positis, clarum est, tolli à cordibus hominum omnem Dei timorem, dari sumam licentiam ad omnia scelera, sicut per Atheismum, vel etiam majorem. si enim habenti fidem illa specialem nullum peccatum imputatur ad culpam, & poenam, cur non audeat quæcumque scelera etiam gravissima committere? quid enim timeat?

at? an Gehennam? at fides facit, ut quantumvis peccatum in se sit grave, & fœdum, tamen tali homini nullò modō imputetur. An iram Divinam, & gratiæ DEI subtraætionem? at Deus non imputat, & propter Christi satisfactionem non potest illi irasci. An satisfactionem temporalem? aut confessionem? at ista sunt sublata tanquam superstitionis. Quid ergo iste magis timeat, quam Atheus? Atheismus facit viam ad omnia sceleria, quatenus aufert timorem Divinæ castigationis, persuadens non dari Deum vindicem scelerum: at vestræ Religiones non magis tollunt timorem Divinæ castigationis, dum docent nullum peccatum credenti imputari ad culpam, vel pœnam, nec unquam fore pro eo puniendum. Imò timorem hunc salutarem magis tollunt vestræ Religiones, quam Atheismus; nam pauci Athei sunt, qui certò statuant, nullum esse Deum, sed plerique dubitant, & timent, ne reverè detur Deus scelerum vindictæ futuræ. Vestræ Religiones verò certò, & indubitanter statuunt, peccata credentibus non imputari, idque firmissimè credi jubent. Itaque nihil formidinis relinquent, sed omnē penitus metum, & suspicionem vindictæ abstergent, ac proinde

inde maiorem portam ad scelera laxant,
quām Atheismus.

Calv. Nimis severè loqueris contra
nostras Religiones. *Cath.* Habete pati-
entiam, ex vestrorum doctrina Magistro-
rum argumentatus sum. Dixi Religiones
vestras maiorem portam aperire sceleri-
bus, quām Atheismus; jam ostendam,
quòd pluribus id modis faciant, quām A-
theismus. Nam Atheismus hanc unicam
viam præbet ad scelera, quòd Deum non
esse doceat, quam doctrinam, licet aliqui
verbo tenus sequantur, & conentur sibi
persuadere, Deum non esse; plerumque
tamen subverentur, & timent, ne re-
ipsa sit DEUS, qui ulciscatur scelera, &
turpitudines mortaliūm; vos verò faci-
tis modis pluribus, licet credatis Deum
esse; nam:

I. Utì jam suprà dixi, dicitis per fidem
peccata non imputari, quantumvis mul-
ta sint, & magna.

II. Dicitis; qui habent veram fidem, es-
se prædestinatos, & id firmissimè credi de-
bere. *Calv.* Lib. 3. c. 2. §. 6. 7. 12. 15. 16.
§8. *Calv.* Lib. 4. c. 17. §. 2. *Hinc* sequitur,
ut nobis securè spondere audeamus, vitam
aeternam nostram esse, cuius ipse (Christus)
est heres, nec Regnum Cœlorum, quòd jam
ingressus est, posse magis nobis excidere,
quam

quam ipsi. Si enim Religionum vestrarum cultores omnes sunt prædestinati, & id firmissimè credere tenentur, cur debeant esse solliciti, ut bene agant, vel opera carnis, quæ Apostolus enumerat, devitent? non enim possunt metuere, ne cœlo excidunt, & damnentur; nam prædestinatio Dei efficax est, & immutabilis, & prædestinati nullō modō possunt perire. Nec possunt metuere Purgatorii pœnas, quia tales nullas credunt esse, nec hujus vitæ flagella, cùm illis peccata à Deo non imputentur.

III. Tollitis libertatem arbitrii, & docetis omnia inevitabili necessitate fieri, hominésque non posse vias suas bonas facere. Luth. in Affert. 36. Calv. Lib. 1. c. 16. & 18. Si enim libertas nulla est, etiam peccatum nullum est: sicut Leo, dum devorat hominem, etsi malum inferat, non tamen peccat; quia id non libere, sed impulsu naturæ facit, nec est in potestate ejus hunc impulsū moderari. Nemo igitur erit pœnā dignus, quia quod necessitate agitur, pœnam non meretur; quare nec ullus erit infernus, nec vindicta post hanc vitam ulla; magna enim, & intolerabilis esset crudelitas, homines æternis pœnis afficere, propter ea, quæ ipsi nullō modō vitare poterant. Cur ergò metuant sequi desí-

desideria cordis sui, & patrare, quidquid
animo libitum fuerit?

IV. Dicitis omnia opera hominum
tum mala, tum bona esse à Deo præordi-
nata, prædefinita ab æterno; & ut in
tempore fiant, voluntates hominum ad
omnia à Deo inclinari, incitari, impelli,
determinari. Luth. Affert. 36. Calv. Lib.
1. c. 17. §. 5. & c. 18. §. 2. Si enim Deus
æquè bona, ac mala operatur in nobis,
non est, quod conemur mala evitare, ne-
que ratio est, cur metuamus eorum ulti-
onem; Deus enim non est ultius ejus, cuius
est author: nec punire potest, quod ipse
à nobis fieri vult, & facit, ut faciamus;
hæc enim plus quam tyrañica immanitas
esset, quæ à Deo abest longissimè.

V. Lutherani docetis, Decalogum non
pertinere ad fideles Christi, sicut Leges
cæremoniales, & judiciales. Luth. in cap.
4. Ep. ad Gal. & alibi. Si Decalogus nos
non magis obligat, quam Leges cæremo-
niales: igitur sicut non teneris Legem
cæremonialem servare, circumcidere car-
nem, edere agnum Paschalem, colere Sa-
bathum, &c. ita nec Decalogum. Si abso-
lutus es à Decalogo, poteris idola colere,
Parentes, & Magistratus contemnere,
committere adulteria, farta, homicidia, &
alia, quæ Decalogo vetantur, sicut pote-
sis

ris facere ea, quæ legi cæremoniali repugnant. Hanc doctrinam occultè tenet etiam Calvinus, dum docet Legem DEI etiam Sanctis esse impossibilem. Lib. 2. c. 7. §. 5. Si enim est impossibilis, non obligat, nemo enim obligatur ad impossibilem. Nemo unquam Tyrannus subditos ad impossibilem obligavit, & Deus id faciet? absit, ut sic de Dœo sentiamus. Hoc ipsò ergò, quod Decalogus cœpit esse impossibilis, desit ejus obligatio, ac proinde nihil ad nos pertinet. Deinde docet Calvinus omnia opera nostra esse inquinamenta, fordes, & peccata coram Deo; at nemo potest obligari ad peccatum: ergò non obligamur, ut vel conemur quidem Decalogum, vel aliquam ejus partem impleare. Lib. 3. Instit. c. 19. §. 2. ait: *Fidelium conscientia sese erigant supra Legem, atque egerant, totumque Legis iustitiam obliuantur.*

VI. Vos nullum discriminem facitis operum bonorum, & malorum coram DEO, sed solum coram hominibus; sicut enim opera, quæ dicuntur mala, apertam malitiam habent, ita operibus bonis justorum tribuitis malitiam occultam propter concupiscentiam internam: ratione cuius malitiae vultis hæc esse peccata mortalia coram Deo. Si ita est, cur potius incum-

bam

bam operibus bonis cum naturæ afflitione, & dispendio fortunarum, quam malis, quibus magna voluptas, & utilitas saepe est conjuncta? Cùm enim utraque sint mala coram Deo, cur non potius præferam illa, in quibus voluptas est, & utilitas temporalis, iis, in quibus molestia, fatigatio, & dispendium?

VII. Docetis hominem per solam fidem specialem esse justum coram Deo, absque illis bonis operibus; & illi, qui, fidem hanc habet, nullum peccatum imputari. Ita Luth. plurimis locis, & infert ex hac doctrina Lib. de Libert. Christia. & de cap. Babyl. Solam incredulitatem esse peccatum, & solos incredulos esse damnados; eum autem, qui fidem retineat, damnari non posse. Calvinus docet L. 3. c. 4. §. 28. Omnia peccata esse mortalia infidelibus; infidelibus omnia venialia. Venialia vocat, quia ea illis Deus non imputat, sed hoc ipso, quod fiant, condonat. Quæ doctrina clarè sequitur ex illo principio, quo ipsi adstruunt, solam fidem specialem esse causam justificationis; hoc est, hominem esse justum coram Deo, eo solo, quod firmiter credat, Christum plenè satisfecisse, pro ipsis peccatis: per hanc enim fidem applicari ipsis Christi satisfactionem, & fieri ipsis quasi propriam, ita ut per eam justus

stus reputetur coram Deo, et si voluntas interius non imputetur. Itaque manente hac fide, nullum peccatum ipsi nocere potest, quia manet in iustitia Christi, eamque retinet firmiter. Quia doctrinā posita, non est, quod vereantur quodlibet scelus perpetrare; nulla enim vindicta à Deo metuenda est, cùm DEUS illud non imputet ad culpam ob satisfactionem Christi, nobis per fidem communicatam.

VIII. Calvinus docet per baptismum etiam futura nobis remissa esse peccata, Lib. 4. c. 15. §. 3. & 4. Luth. Tom. 2. Lat. Vit. ait: *baptizatum etiam volentem non posse perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere,* de cap. Bab. fol. 78. Ex quibus clarissimum est, Religiones vestras omnem Divini Numinis timorem tollere ex animis hominum, & cantam tribuere omnibus sceleribus licentiam, quantam nullus unquam Atheismus, idq; eò perniciosius, quod non sub aperta impietatis forma, sed sub specie Religionis, & honoris Divini, nimis sub speciosis titulis fidei specialis, satisfactionis Christi, libertatis Novi Testamenti, prvidentiae, prædestinationisq; Divinae, sub his tegitur, & propinatur tantum venenum, quod mentes, morésque hominum penitus corruptit. *Quis ergo credat Religiones vestras à Deo esse?*

DIS-

DISCURSUS OCTAVUS.

Religio Sancta, quæ Sanctos habet.

Cath. Quid est, quod vultum tristem
præter solitum indueris Domi-
ne Theodore? *Theod.* Non tristitia, sed
stupor, & admiratio meum occupavit ani-
mum, hunc indicat vultus animi index.
Receperam me paulisper ad Templum, Di-
vinum oratus Numen; cùm ecce signo
datō frequens resonare cœpit Chorus
Psalmos decantantium Davidicos, sibiq;
alternantium. *Cath.* Felicia erant illa
tempora, quibus, in Provinciis Ungariæ, in
sexcentis facilè Templis ejusmodi Psal-
modiâ Deus laudabatur. Erant aliqua, in
qvibus incessanter diu, noctuque sibi suc-
cedentes Religiosi laudes Cœlesti Numi-
ni concinebant; injuriâ verò temporum
loca sacra in solitudinem versa sunt.
Theo. Illud non capio, quod quidam Can-
torum longo ordine recensuerit varios
viros, ac mulieres, nominabatq; Sanctos,
quorum hi isto, illo alii loco florissent,
vitam pro Christo posuissent, ac demum
ad Cœlos evolâssent. In fine addehat: *Et*
alibi aliorum plurimorum Sanctorum Mar-
tyrum, Confessorum, atque Sanctorum Vir-
ginum. Quid significabat lectio illa? *Cath.*
Martyrologium vocamus, quod in singu-
los

Ios dies distributum, jam hos, jam alios ha-
 bet adnotatos Sanctos, recēsens brevissimè
 aliquorum vitam sanctam, pium obitum,
 fortē pro Christo passionem. Legitur
 ea intentione, ut Deus etiam in Sanctis
 suis honoretur; ut fideles auditis Sancto-
 rum gestis ad similia pro Christo gerenda
 animentur; ut ad Dei, & Cœlestium amo-
 rem, detestationémq; peccatorum accen-
 dantur. Scire autem debes innumeram
 esse multitudinem Sanctorum Virorum, &
 Mulierum in Ecclesia Romana, vel obiter
 à Scriptoribus notatorum, quorum alii
 pro Fidei Romanæ confessione vitam po-
 fuerunt; alii in Eremis, Monasteriis; alii
 anter medias mundi occupationes, spretis
 ejus illecebris, & deliciis, vitam sanctissi-
 mam duxerunt, quorum mortem sanctam
 sequuta sunt miracula crebra, & magna,
 quibus Deus orbi declaravit, vitam eo-
 rum sibi fuisse charam, & acceptam. Nu-
 merum eorum vel minimum sic adnotant
 aliqui, ut, si in singulos anni dies æquali-
 ter distribuantur, folorum Martyrum ve-
 niant pro unico die ad 30. millia memo-
 randi, præter eos, quorum memoria non
 habetur. Unde vel hinc advertere de-
 bes, Religionem nostram Romanam esse
 aliis præferendam. Illa enim Religio est
 aliis præferenda, in qua sunt plurimi san-
 ctita-

titate conspicui; Sanctitas enim vera cum falsa Religione consistere non potest, nec prava Religio ad Sanctitatem veram valet præbere viam: atqui Religio Romana plurimos omnibus sæculis habuit Santos, quos omnis ætas pro talibus habuit, qui omnium Christianorum consensu sanctissimi fuere.

Perpende I. (pauculos adduco) Religiosorum Ordinum Fundatores, perpend Episcopos, v. g. Magnum Antonium, Hilarionem, Gregorium Thaumaturgum, Nicolaum Myræ Episcopum, Athanasium, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Cyprianum, Hilarium, Martinum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Benedictum, Gregorium Magnum, Romualdum, Bernardum, Dominicum, Franciscum, Thomam Aquinatem, Adalbertum, Ignatium, Franciscum Xaverium, aliis omissis brevitatis causa. Hi certè Catholici fuerunt, quia à potiori Monachi, & Monasticæ Regulæ Institutores. II. Considera sanctos Imperatores (breviter & hic recenso) Constantintum, Henricum. Sanctos item, Edvardum Angliæ, Venceslatum Bohemiæ, Sigismundum Burgundiæ, Ferdinandum Castellæ, Canutum Daniæ, Ludovicum Galliæ, Casimirum Poloniæ, Stephanum, Ladislaum, Emericum, Ungariæ Reges:

Leopoldum Marchionem Austriae, &c. hic
 certè Romanam coluerunt Religionem; nam Episcopatus, Sacerdotum Collegia,
 Monasteria fundârunt, Templa Altaribus,
 vestibus, & vasis Saerificio Missæ deservi-
 entibus (videre est etiam hodie in Monte
 Pañoniæ apud Religiosos S. Benedicti ca-
 sulas à S. Stephano ante 700. annos datas)
 ornârunt. *Theod.* Quid putatis Domini
 mei, an revera Sancti fuerint, & Romanæ
 Religioni addicti, quos Dominus Catholi-
 cus recensuit? Dicite, quæso, nec verita-
 tem silentio premit. *Catb.* Frustra apud
 eos hanc quæstionem instituis; nam Ro-
 manæ illos suisse Religionis negare non
 possunt: cùm fuerint, ut dixi, vel Religio-
 forum Ordinum Institutores, vel Episco-
 pi, ac Sacerdotes Sacrificium Missæ cele-
 brantes; vel Reges, ac Principes, qui Ec-
 clesiæ Romanæ Ministros protexerunt,
 Monasteria, & Templa erexerunt, caque
 amplissimis redditibus locupletârunt. San-
 ctitatem illorum etiam disputare non
 possuat, cùm ea de re nunquam fuerit
 dubitatum: magna profecto esset impru-
 dentia ea de re dubitare, id negare, in
 quæ consensus orbis conspirat. Quis Un-
 garus, quæso, dubitavit de SS. Stephani,
 Ladislai, Emerici, Elisabethæ, Martini, A-
 dalberti sanctitate, quorum Festa à sœculis
 cele-

celebrat Ungaria, servarique ab omnibus Regni Decretū jubet? Nōnne hæc etiam Lutherani, & Calvinistæ servant in Ungaria? *Luth.* Quid indè sequitur, esto fuerint Sancti, fuerint Romanæ Religionis? *Cath.* Hoc sequitur, quod, si isti fuerint Religionis Romanæ, & fuerint Sancti, ut orbi Christiano persualsum est, necesse est Romanam Religionem, quam ipsi tenuere, esse veram, & à Spiritu Sancto profetam. *Luth.* Cur, quæso, id sequitur? *Cath.* Ideo:

I. Quia impossibile est, ut Religio falsa ad sanctitatem veram perducat; Religio enim est Sanctitatis fundamentum. Non potest cœlesti Sanctitatis ædificium super fundamento vano, super mendacio, super fundamento sacrilego exstrui; sacrilegium autem est mendacium in materia Religionis. Fieri nequit, ut Religio falsa animum à terrenis avocet, ad cœlestia traducat, Divino amore mentem accendat, ad proximorum salutem per assiduos labores procurandam impellat. Hæc autem omnia Religio, quam Sancti isti sequebantur, in ipsis perfecit; itaque fieri nequit, ut eorum Religio falsa fuerit.

II. Sinè vera Religione impossibile est placere Deo, Hebr. 11. illi autem Deo plauerunt, Dei amici fuere; ergo vera fuit

eorum Religio; Deo enim, qui veritas est, per falsam Religionem nemo placere potest.

III. Si eorum Religio vera non fuit, ergo fuit à Diabolo; ille enim est Pater mendacii, ille verā Religionem suis mendacijis semper fludet corrumpere, ut animas perdat. Si autem Religio eorum fuit à Diabolo, quomodo potuit eos ad sanctitatem perducere, efficere Dei amicos, & dæmonis hostes: quæ enim societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?

IV. Incredibile est prorsus, quod Deus tot, & tam innocentes viros, & foeminas, qui se, & res ~~creat~~as despicerunt, Deum ardenter amarunt, ejus gloriæ promovendæ fluduerunt, unicè ut Deo placeant, totam suam vitam impenderunt, sanguinem Religionis causâ fuderunt, permiserit in re tanti momenti, uti est Religio, decipi, in fundamento scilicet totius pietatis. Quis tam impiè de Dei sentiat bonitate, nihil illi ex parte sua prætermiserunt, quo Deo placere possent, ejusque gloriam promoverent; maximos labores pro Deo suscepserunt, & totam illi vitam consecrârunt. Quinam fieri potest, ut illa beatitas infinita, illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum,

dum, tam eximiis servis, & amatoribus suis, veritatem, & lucem suam non ostenderit, eosque in tenebris, & erroribus pestiferis permiserit? Falsum ergo esset illud Domini promissum: *Petite, & dabitur vobis; querite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit, & qui querit, invenit, & pulsanti aperietur, Matth. 7.7.* Sancti enim Franciscus, Dominicus, Benedictus, Stephanus, Ladislaus, &c. totâ vitâ, summô studiô petierunt, quæsiérunt, & pulsárunt; ut necessaria ad salutem impetrarent à Domino, & voluntatem ipsius agnoscere, & implere possent, & tamen nihil essent consecuti. Falsum esset & illud: *Si vos, cum sitis mali, nōstis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de Cœlo dabit spiritum bonum potentibus se. Luc. 11.13.* Hi enim assiduè hunc spiritum flagitáreunt, & tamen non obtinuerint; spiritus enim bonus absque bona Religione esse non potest.

Cum ergo blasphemum sit dicere, Divinas promissiones falsas esse, necesse est fateri, viros illos veram Religionem à Deo accepisse. Quare cum constet eos Religionem Catholicam tenuisse, & Ecclesiæ Romanæ addictos fuisse; alias verò Religiones contrarias Romanæ detestatos fu-

isse, dubitari non potest, quin Religio Romana Catholica sit vera, & Divinitus inspirata; reliquæ verò falsæ, ac ab hoste Dei inventæ.

Denique si Religio illorum vera non fuit, sed aliqua Adversariorum vera est, necesse est fatéri, supra dictos omnes, quos orbis terrarum ut Sanctos suspexit, non solum non fuisse Sanctos, aut amicos Dei; sed potius fuisse impios, Dei inimicos, ac proinde æternūm damnatos: nam sine vera Religione impossibile est placere DEO,

Cato. Id non sequitur: fuerunt enim excusati per ignorantiam. *Cath.* Ignorantia non excusat, nisi in quibusdam secundariis, & minùs necessariis, quæ solum ratione alicujus præcepti positivi necessaria sunt; nō autem in fundamentis, & primariis capitibus: alias enim posset quis sine omni notitia Dei, & Christi salvari, quod nullus dicit. At illi si errârunt, (ut illos errasse dicitis) errârunt in primariis capitibus. Primo enim non agnoverunt specialem fidem, per quā solam homines juxta vestram doctrinam, justificantur, & fiunt participes redemptionis, & justitiae Christi, quā habitâ hominibus peccata non imputantur: ergo manserunt sine justitia Christi, consequenter filii Gehennæ.

Secun-

Secundò: quia vestrō judiciō fuerunt extra Ecclesiam Christi, (extra quam non est salus) & adhæserunt Meretrici Babylonice (sic enim appellatis Ecclesiam Romanam) & fuerunt Ministri, & instrumenta primaria Antichristi. Tertiò: quia fuerunt Idololatræ, adorantes creaturam pro Creatore, nimirum panem, & vinum in Eucharistia, honorantes Sanctos, & eorum imagines. Nulla est ignorantia, quæ posse fit hæc excusare. Fuerunt ergo omnes isti impii, & ad Gehennam damnati. At hæc sunt incredibilia, improbabilia, contra communem omnium Christianorum sensum.

Theod. Danturne etiam in vestris Religionibus ejusmodi Sancti? *Calv.* Dantur omnino, sic in Praxi Pietatis (liber est noster precatorius) docemur, Sanctos esse Hoperum, Cramerum, Latimerum, Philpotum, Pharrarum, Bradfordum, Sanderum, Glokerum, Ridleū, &c. *Cath.* Hoc modò & Hussitæ Hussum, & Hieronymum Pragensem; & Unitarii Servetum inter Martyres censem, & Turcæ Mahometem pro sancto habent. Tui isti, quos recenses, certè, ut constat ex hyftoriis, nihil supra vulgum sapuerunt, eorum mores, & vitæ non probavit sequutis miraculis Deus, tanquam sibi acceptam, qualiter probavit

vitam Sanctorum nostrorum, quos recen-
 sui, & aliorum. Non vestri illi consilia
 sequuti sunt Evangelica, terrenis rebus
 erant addicti, voluptatum sedatores, uti
 & vestrarum Religionum Authores, ac va-
 riis scatebant sceleribus. *Cato.* Etiam
 inter vos sunt multi, qui non solum san-
 cte non vivunt, sed etiam variis sceleri-
 bus sunt pleni. *Cath.* Certum est, quod
 dicens; at ad rem non reponis, à materia
 discursus devias. Non laudo ego omni-
 um Catholicorum mores; multi enim
 contra Catholicæ Religionis præcepta a-
 gunt; at laudo eorum Religionis institu-
 ta. Sicut non vitupero omnes omnium
 Acatholicorum actiones; nam multi eti-
 am gentiles opera moralia faciunt bona,
 administrant justitiam, sublevant egenos,
Ecc. Adverte tamen, & tibi bene nota.
 Perpetrant multi Catholicæ varia scelera;
 at non indulgentiâ, vel consensu Roma-
 næ Religionis, sed potius illa prohibente,
 supplicia cominante, promissis à peccato
 avocante, ac omni ratione impediente.
 Itaque vitae illa pravitas in Religionem
 nullô modô referri potest, nec illam im-
 perfectam arguit. Tria sunt, quæ homi-
 nem à malo avocare, & ad bonum inci-
 tare possunt: Timor supplicii, spes præ-
 mii, pulchritudo ipsa operis boni; hæc
 tria

tria ubique preponit, & inculcat suis Religio Romana; itaq; nihil omittit eorum, quæ ad peccata vitanda, & sanctitatem seständam incitare possunt. Unde si aliqui ad sanctitatem non aspirent, non Catholicæ Religioni, sed libertati arbitrii, quæ contra omnia illa incitamenta nitit potest, est imputandum. Quod si Catholica Religio ageret, uti Religiones vestræ, si timorem supplicii, si spem præmii toleraret, si omnia opera, etiam bona, peccati labo inquinata esse statueret, &c. tunc merito scelerata vita hominum in illana reserri deberet, tunc neglegens honorum operum ei esset imputandus. Sicut enim, qui subtrahit anterides, & fulcra, ruinam domus impeditia, est causa ruinæ domus; ita qui subtrahit timorem Dei, seu timorem futuræ vindictæ, quod mortales coercentur, ne in scelera ruant, est causa istarum ruinarum. Simili modò qui tollit omne illud, quod ad studium bonorum operum incitare solet, est causa neglegens, & contemptus bonorum operum.

Ex quibus perspicuum est, neglectum bonorum operum, & pravam vitam, quæ in quibusdam Catholicis cernitur, non esse referendam in eorum Religionem, sed in libertatem duntaxat arbitrii, malum præ bono eligentis: Quæ verò vita

mala in vestrarum Religionum Cultoribus reperitur, esse imputandam tum ipsi Religioni vestræ, quæ omnia malum impeditia, & ad bonum excitantia ē medio tollit, tum libertati arbitrii, quatenus ejusmodi Religionem eligit, eiq; in-hæret.

Theo. Dicebas, miraculis esse comprobatam vitam Sanctorum vestrorum: charum mihi erit, si de his discurras. *Cath.* Proximè de his sermonem instituam; hæc hodie sufficient,

DISCURSUS NONUS.

Religionis veræ testimonium Miracula.

Theod. **I**Ncredibile dictu est, quām difficile exspectaverim ortum Solis; tam avidè desidero te de miraculis dis-currentem audire, ac ea Herodes à Christo cupierit videre. *Cath.* Opto, ut affetus hic non curiositatis, uti in Herode contigerat; sed veritatis agnoscendæ gratiâ, in te sit ortus. De miraculis ego discurram libenter; sunt enim propria Religionis Romanæ, quæ illam, tanquam à Deo institutam, vehementer commendant, nec alibi extra eam reperiuntur. Tria agitur tibi imprimis in hac materia notare debes.

I. Quid

I. Quid sit miraculum: nimiram miraculum dicitur, quod superat vires omnium creaturarum, & ideo omnibus creaturis est mirabile. Tale est: hominē fuscitare à mortuis, cœco visum reddere, &c.

II. Quòd miracula sint sufficiens Testimonium Religionis; & ubi est verum miraculum, ibi sit vera fides. Vera enim miracula non possunt fieri, nisi virtute Dei; nam, ut dixi, miraculum est, quod superat vires omnium creaturarum, & propterea miracula dicuntur testimonia DEI; quarè, quod miraculō confirmatur, Dei testimoniō confirmatur: Deus autem non potest esse testis mendacii: igitur quod miraculō confirmatur, verum sit, neceſſe est. Verum quidem est, quòd miracula interdum fiant etiam ad illuſtrandum Sanctorum vitam, ut Deus ostendat, ſuiſſe sanctum aliquem hominem ſibi charum: cùm autem nemo fit verè sanctus ſinè vera fide, *Quia justus ex fide vivit*. Hebr. 10. 38. & ſinè fide impossibile est placere Deo; miracula dum commedant hominis sanctitatem, confirmant, & offendunt ſimul ejus veram fidem.

III. Quòd miracula videantur neceſſaria, ut vera Religio comprobetur. Cùm enim pleraq; in Religione ſunt ſupra naturam;

turam, & captum mentis humanæ, non possunt rationibus humanis persuaderi; sed opus est quibusdam argumentis supernaturibus, quibus mentes hominum convincantur, quæla sunt miracula. Sed vel maximè necessaria sunt miracula ad novam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam, de quo fusi agam suô loco: in præsenti autem ex ratione miraculorum probo Religionem Romanam esse aliis præferendam, hoc arguento: Religio, in qua plurima sunt miracula, est præferenda aliis Religionibus, quæ destituuntur miraculis; at in sola Ecclesia Romana sunt plurima miracula; ergo est aliis præferenda, utpote habens testimonia DEI.

Theod. Unde probas, quod Religio Romana habeat miracula? *Cath.* Quod in Romana Religione jam à temporibus Apostolorum miracula plurima singulis facultatis sint edita, & etiamnum edantur, omnibus Christianis est persuasissimum, & ex variis historiis probatissimis, ex Annalibus Regnorum, ex vitiis, & gestis Sanctorum, rebusq; constat. *Calv.* Miracula, quæ jactatis, non sunt vera miracula; sed partim conficta, partim Diabolica. *Cath.* Temerarium assertum affers, omni carens specie probabilitatis, quod est contra

tra judicium orbis, & tot s̄eculorum ; omnes enim gentes ; jam à tot annorum centuriis, ea absque ulla dubitatione proveris habuēre miraculis. Quis unquam dubitavit de miraculis Gregorii Thaumaturgi, Hilarionis, Antonii, Martini, Malachiæ, Bernardi, Dominici, Francisci Affissi, Francisci de Paula, Francisci Xaverii, (innumerous alios omitto) & præterea non fuisse confita pluribus rationibus ostendo, & probo.

I. Quia à gravissimis Authoribus conscripta sunt ; nam miracula Gregorii, qui Thaumaturgus (hoc est, miraculorum patrator) dictus est, scripta sunt à Gregorio Nysseno, & Basilio ; Antonii ab Athanasio, & Hieronymo ; Martini à Severo Sulpitio, Bernardo ; Bernardi à gravissimis authoribus ejus ætatis ; Francisci à Bonaventura, &c. Francisci Xaverii post sumam inquisitionem, sunt comprobata testimoniō Proregis Indiæ. Quis credat istos viros sanctitate, doctrinâ, autoritate insignes, voluisse in perniciem animæ (medacium enim in iis, quæ ad Religionem pertinent, est gravissimum peccatum) & æternum sui nominis probrum, ista confingere, & mundo imponere.

II. Si fuissent confita, facile potuissent convinci vanitatis ab illius ætatis hominibus,

nibus, apud quos sunt patrata: at nemo illa rejicit, nisi Paganus, Judæus, vel Hæreticus. Accedit, quòd plurima publicis testimoniis Episcoporum, vel Magistratum, & præviâ causæ cognitione sunt confirmata.

III. Si non obstante tot gravissimorum virorum, Annalium, &c. relatione miracula illa conficta esse censes; similiter, & potiori jure alia ab Historicis relata, & scripta debes in dubium vocare, debes dicere esse conficta, & tollere omnem fidem historiarum, ac evertere omnem notitiam superiorum temporum; consequenter debes dicere figmentum esse, quòd Attila ex Scythia cum majoribus nostris exiverit, in vicinis Provinciis bella gesserit, Romanos ad Danubium vicerit, Pañoniam occupaverit; quòd Transylvania priùs vocata fuerit Dacia, &c. de omnibus enim gestis antiquis dici similiter potest, quòd sint conficta, cùm non nisi ex Scriptis Authorum probari possint.

Calv. Si conficta non sunt; ergò sunt facta ope Dæmonis. *Cath.* Ostendis te esse verum Calvinistam; sic enim sentit Magister tuus Calvinus in Præfatione Institutiorum. At DEI virtute facta esse judicabis, si perpendas rationes sequentes.

I. Quòd

I. Quòd hæc edita sint à viris sanctis.
simis, Deum amantibus. Quis credat
Franciscum, Dominicum, Bernardum, Mar-
tinum, Benedictum, & similes, commerci-
um cum Diabolo habuisse?

II. Quòd opera illa superaverint vires
Diaboli; non enim potest Diabolus illu-
minare cœcos, erigere clados, excitare
mortuos, subitò roborare paralyticos, &
similia præstare, quæ naturæ vim exce-
dunt; unde nec magi, vel sagæ unquam
talia ope Dæmonum præstare potuerunt.
Perfecerunt autem talia plurima, & pœ-
nè innumerabilia Sancti in Religione Ro-
mana, fidq; repente, ad solum contactum,
ad signum Crucis, ad breves preces, ad
solum imperium.

III. Quia illa, quæ ope Dæmonum fi-
unt, vel parùm durant, tanquam præsti-
giæ, & delusiones oculorum, ut experien-
tiâ constat, ex iis, quæ faciunt magi; vel,
si durant, sunt per causas naturales, sunt
que plerumquæ mortalibus inutilia, vel
planè noxia, vel vana; qualia sunt, igne
descendere de aëre, statuam loqui, & alia,
quæ facturus est Antichristus, & ejus Pseu-
do-prophetæ; nec adducunt homines ad
vitæ emendationem: at miracula Sanctorum
habent effectum permanentem, sunt
hominibus utilissima, eos ad timorem

Dei

Dei, & vitæ emendationem excitant.

IV. Nova miracula nunquam approbata fuere in Ecclesia, nisi præviâ magnâ discussione; examinantur enim testes, & plerumquæ sub juramento, inspicitur ipsum factum, an naturæ viribus, an ope Dœmonis fieri possit? Considerantur omnes circumstantiæ, quô modô, quo ordine, qua occasione, quô locô, & tempore, quo fine, coram quibus, & circa quos miraculum patratum sit: Et sæpe non defunt æmuli, qui libenter rem deprimarent, vel suspectam redderent, si possent; & idcirco nihil intentatum, aut indiscussum permittunt. Itaque impossibile moraliter est diu latere fraudem, si quæ subsit; ac ad Divinam providentiam pertinere videtur, non permettere homines tam misere deludi, præsertim post tantam diligentiam ab illis adhibitam, ad veritatem rei indagandam.

V. Si miracula in Ecclesia fiunt à Diabolo ad retinendos mortales in falsa Religione, qualem supponis esse Romanam, cur non facit similia Diabolus in aliis Religionibus, quas etiam censes falsas? cur inquam miracula non facit apud Turcas, Unitarios, Sabbatarios, Anabaptistas, Lutheranos, &c. cur has omnes miraculis destituit, & solam Romanam illustrat? an for-

forte hæc est ipsi charior, quam Turcismus,
vel aliæ falsæ Religiones? certè non de-
bebat etiam illas negligere, ex quibus tam
amplus est illi proventus. Delectatur
profectò ille varietate falsi cultus, & o-
mnium se ingeniis, & affectibus accom-
modat. Itaque, cùm sola Religio Catho-
lica miracula habeat, nulla autem Religio
falsa, manifestum id signum est, miracula
Ecclesiæ Catholicæ, à Diabolo facta non
esse.

VI. Quæro ex te, ob quam rationem
miracula in Ecclesia Catholicæ facta dicē-
da sint conficta, vel certè ope Dæmonis
patrata? an, quia fieri non poterant? At
Deus est omnipotens, & ipse multa simili-
lia per Apostolos fecit, ut testatur Sacra
Scriptura. An, quia Scripturis repugnant
at Dominus promisit hanc miraculorum
gratiam: *Amen, Amen dico vobis, qui cre-
dit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faci-
et, & majora horum faciet; quia ego ad
Patrem vado, & quocunque petieritis Pa-
trem in nomine meo, hoc faciam, ut glori-
cetur Pater in Filio:* Joan. 14. 12. Quibus
verbis insinuat, semper in Ecclesia grati-
am miraculorum futuram; nec solos A-
postolos, sed etiam multos Apostolicos
vires miracula patraturos. Hanc ergo
promissionem Domini videmus impleri,
dum

dum Sancti viri miracula faciunt. An quia teste carent? at præter Scriptores fide dignissimos, habemus fidem, & consensum Populorum, habemus in plurimis testimonia Episcoporum, vel Magistratum post accuratum examen, & juratos testes confecta. Denique plurima publicè, in multorum præsentia sunt gesta. Nullæ sunt historiæ antiquæ (si excipias eas, quæ Sacra Scripturâ continentur) quæ tot, ac tantos testes habeant, ac miracula Ecclesiæ. Accedit, quod singulis ætatibus, immo singulis ferè annis, in diversis locis miracula ingentia per Sanctos cum Christo regnantes, maximè per B. Virginem Mariam fiant, quæ illis locis omnibus sunt manifesta, & ab omnibus cerni oculis, & palpari manibus possunt: quæ etiam post magnam discussionem testibus, & publicis testimoniois sunt confirmata.

Calv. Vera miracula confirmingant Evangelium, uti dicit Christus apud Marcum: vestra autem, quæ allegatis, Evangelium evertunt, & statuunt idololatriam, hoc est, cultum imaginum, & Reliquiarum, invocationem Sanctorum, Missam, & similia: ergo miracula vestra non sunt à Deo, sed à Diabolo. *Cath.* Iterum ineptis cum tuo Calvino in Præfat. Instit. sic discurrente: at, bone vir, ista est petitio principii,

cipi, circulus vitiosus. Dum enim in hoc convenimus, quod illa Religio sit vera, in qua fiunt miracula plurima, & querimus, in quam plurima fiant, ac ego ostendo in Romana Religione haec reperi-ri, atque per hoc probbo Romanam Religionem esse veram, & à Christo institutā; tu supponis Romanam Religionem esse falsam, & ex eo concludis, miracula, quibus illa confirmatur, esse falsa, & à Diabolo patrata. Miracula non evertunt Evangelium Christi, non evertunt Religionem à Christo institutam; bene verò evertunt Religionem tuam Calvinianam, Lutheranam, Unitariam, &c. cum hoc testimonio Dei Religiones hæ careant. Imitaris, bone vir, in modo respondendi Scribas, & Phariseos, qui similiter supponebant doctrinam Christi falsam esse, ac tu supponis falsam esse Religionem Romanam: & inde apud se concludebant, miracula Christi esse falsa, Christum in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia, Matth. 12. Taliter etiam Pagani calumniabantur miracula Martyrum, artibus magicis tribuentes. Sic Ariani, Eunomiani, Vigilantiani, de miraculis Catholico- rum discurrebant, ut testatur Victor Utic. Ambrosius, Hieronymus: Debes ergo in contrarium, ex veritate miraculorum, quæ

quæ ab omnibus perspicuè cognosci, oculis cerni, & manibus palpari potest, colligere veritatem Religionis Romanae, de qua est inter nos controversia. Nunquam enim ad confirmationem falsæ doctrinæ miracula facta legimus, qualia plurima. Sancti fecerunt. Nunquam mortui ab Hæreticis excitati sunt, aut cœci illuminati, aut claudi eretti, aut paralytici curati, aut Dæmones ex corporibus hominum fugati; nunquam tñlia patravit Lutherus, vel Calvinus, vel eorum sectatores, licet tentaverint. Tentavit Lutherus de Discipula sua Diabolum ejicere; sed periculum adiit, ne ab eo ipse necaretur. Tentavit in aquis submersum ad vitam revocare, sed irrito conatu. Tentavit similiter Calvinus, volens ad vitam excitare eum, qui svasu suo se simularet mortuum sed eo successu, ut ex vivo faceret mortuum: nam justò DEI iudiciò, simulatori illi vita subtrcta est, cum illum Calvinus ad vitam revocare conatur. Historias refert Cochlaeus, Hieron. Bolsecus. Quare, cum eis neque vera, neque falsa succederent miracula, conantur hoc firmamentum miraculorum, quod potentissimum est, & mentem omnino convincit, Ecclesiæ Catholicæ subtrahere; sed sine illa probabilitate, ut manifestum est.

Sicut

Sicut igitur, qui miracula Christi Domini, & Apostolorum considerabant, & animo tranquillo, semotô odiô, aliisve pravis affectibus perpendebant, dubitare non poterant, quin doctrina eorum esset à Deo, qui illis tam illustribus signis suffragabatur; ita, qui modò deposito odiô, & sinistro affectu diligenter considerant miracula, quæ in Ecclesia à sanctis hominibus singulis fæculis sunt, dubitare non possunt, quin eorum doctrina, & Religio à Deo sit, & Ecclesia, cui adhærent, sit vera Dei Ecclesia.

Luth. Ad Curiam festinare jubemur, abrumpamus discursum alia occasione, continuandum.

DISCURSUS DECIMUS.

Suspectæ debent esse Religiones, & earum Authores, si miraculis distuantur.

Theod. Quid causæ fuit, quod ad Curiam comparere debueritis?

Calv. Comparuit quidam coram Senatu Civitatis, dicens se missum à Principe ad reformatam Civitatem, sublata volebat privilegia nostra; quædam, quæ consuetudine antiquissima tenemus, ac à majoribus nostris accepimus, abolere intendebat; alia nova, præjudiciosa, nescio, sub quo

quo colore inducere satagebat. Erant quidam minus perspicaces, rerum novarum amantes, qui eum avidè audiebant. Senatus verò pro sua prudentia, ne in re tanti momenti deciperetur, vel Principi refractarius videretur, ab eo Principis literas petebat exhiberi, quibus doceret negotium hoc sibi esse commissum. *Theod.* Exhibuitne aliquod Scriptum Principis? *Cato.* Nullum; sed sibi propter nudum suum assertum credi voluit. *Theod.* Quid demum ultimò conclusum; quid Responsi ei datum est? *Cato.* Considerantes privilegia nostra cōcessa esse in perpetuum, nec Legatos solere mitti in re tanti momenti à Principibus sine credentiaib⁹, sine literis manu Principis subscriptis, ac sigillō munitis, conclusimus, hominem esse vafrum, impostorem, eumque arcta inclusimus custodiæ. *Theod.* Quid si re ipsa fuisset à Principe missus? *Cato.* Quomodo tibi persuadere potes, quod Princeps sapientissimus, qui privilegia nostra confirmavit, Legatum sine tali instructione misisset? sed & si re ipsa à Principe missus fuisset, is nobis vitio non vertet, imò factum nostrum valde probabit, quod homini omni testimonio destituto fidem non dederimus. *Iust.* Si simpliciter afferentibus, se esse in hoc,
vel

vel in illo negotio à Principe missos, fides
dari debeat, brevi tota Resp. ab impo-
storibus evertetur. Si exhibuisset tesli-
monium Principis, pro dignitate Legati
eum tractasssemus. *Cath.* Bene discurritis
Domini charissimi in præsenti materia,
miror autem, quod in negotio longè ma-
joris momenti, non tam cautè, sed potius
cœcissimè procedatis. *Lutb.* *Calv.* *Unit.*
In quo nos negotio cœcè procedere putas?
Cath. In eo, quod Luthero, Calvinus, Ser-
veto credatis, dum purè asserunt, & à
Deo se missos ad reformatam Ecclesiam
communiscentur, & jactant: eum tamen
missionis suæ à Deo ad hoc opus confici-
endum nulla testimonia exhibeant. Con-
stat ex Matth. 24. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3.
2. Pet. 3. Novissimis temporibus multos
impostores, & Pseudo-prophetas ventu-
ros, qui se jactabunt à Deo missos, eosq;
Christus jubet cavendos, Matth. 24. Cur
non petitis à Luthero, Calvinus, Serveto
patentes, quibus se probent à Deo missos?
Calv. Quales patentes? *Cath.* Tales pa-
tent, quales dedit Moysi, Prophetis, A-
postolis, quos extraordinariè mittebat,
miraculorum scilicet gratiam. Cum Moy-
ses à Deo mitteretur ad populum, dice-
rètque Exod. 4. 1. *Non credent mihi, né-*
que audient vocem meam. Non respondit

ei Dominus: debent credere nolint, velint; vel, dic: tuum sermonem prorsus conformem esse verbis meis, &c. Sed dedit ei potestatem faciendi miracula. Ut credant, quod aparuerit tibi Dominus, &c. ¶. §. & seq. De Aarone dicitur Exod. 4. 30. Loquutusq; est Aaron omnia verba, quæ dixerat ad Moysen, & fecit signa coram populo, & credidit populus. En patentes, quibus illos instruxit Dominus, dum ad populum extraordinariè misit. Similiter Prophetæ omnes, vel miraculis, vel occultorum revelatione suam missionem probabant. In Novo Testamento, dum Salvator Apostolos ad prædicandum Evangelium misisset, pariter miraculorum gratiâ illos instruxit. Unde illis ait Matt. 10. 7. Euntes autem, predicate dicentes: quia appropinquavit Regnum Cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosus mundate, Damones ejicite. Quas patentes suæ extraordinariæ missionis ostenderunt mundo Apostoli, uti dicitur Mar. 16. 20. Illi autem profecti prædicaverunt, Domina cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et Hebr. 2. 4. Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus. Quod amplius est, Christus Dominus suæ prædicationi, & assertioni credi non petiit, nisi suam à Patre missiōē miraculis

lis comprobaret; dicit siquidem Joan. 5.
31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso,
testimonium meum non est verum, id est:
legitimum non est præcisè ex hoc, quod
testimonium de me perhibeam. Joan. 15.
24. Si opera non fecissem in eis, que nemo
alius fecit, peccatum non haberent. Rur-
sum Matth. 11. 4. Luc. 7. 22. Legatis Jo-
anis interrogantibus, num ille sit Messias
ab æterno Patre missus; satius censuit mi-
rabilibus operibus in eorum præsentia
exhibitis, quam vocis assertione respon-
sum dare: Euntes renunciate Joanni, que
audistis, & vidistis: cœci vident, claudi am-
bulant, leprosi mundantur, surdi audiunt,
mortui resurgent, &c. Licet clarè ex Scri-
pturis convincere potuisset, se Messiam es-
se, idq; testimonio Joannis posset constare.
Quis igitur sibi persuadebit, Lutherum,
Calvinum, Servetum, vel alios ejus fari-
næ, à Deo missos extraordinariè esse sine
his patentibus?

II. Dicebas, vos non credidisse im-
postori illi sine patentibus comparenti, eò,
quod considerassetis, vobis privilegia es-
se in perpetuum à Principibus collata^o,
que Legatus ille factus eversa volebat, &
in hoc prudenter fecisti: at nonne Ec-
clesiæ Christi promissa est perpetuitas?
nonne illa est Regnum, quod in aeternum

non dissipabitur? Dan. 2.44. Nónne illa est
 Civitas fundata in aeternum? Psal. 47. 9.
 Nónne ejus privilegium perpetuum est,
 ut errare non possit, aded̄ edocta à Spi-
 tu Sancto omnē veritatem Joan. 16. 13. Ut
 sit columnā, & firmamentū veritatis, 1. Tim.
 3. 15. Ut vel portae inferi adversus eam nō
 sint prævalituræ Matt. 16. 18. Ut verba Dei
 de ore ejus nō sint recessura usq; in se-
 jernum? Isai. 59. 21. Si ergo nō credidistis
 homuncioni illi, dicenti se missum ad re-
 formandam Civitatem, privilegia in per-
 petuum collata habentem; quomodò cre-
 detis Lutherō, Galvino, Serveto sive testi-
 monio Dei comparentibus, præcisè se af-
 ferentibus missis ad reformandam Reli-
 gionem, privilegium perpetuum infallibi-
 litatis habentem? Religio veteris testa-
 menti apud Judæos reformanda erat, ex
 typo ad exemplar, ex umbra ad veritatē
 transferri debebat. Ad opus hoc perfici-
 endum de Cœlo descendit Filius Dei, quo-
 modò negotium confecit? Et si clarissi-
 mè ex scripturis convinceret, illam mu-
 tationem jam esse faciendam, séque à Pa-
 tre aeterno esse missum, tamen idem plu-
 rimis, & maximis miraculis confirmandū
 censuit, ut nullam ullus possit habere ra-
 tionem dubitandi. Quantis ergo opus e-
 rit miraculis, ubi agitur de mutanda Re-
 ligi-

ligione novi Testamenti, quam Deus di-
xit non mutandam, sed in finem sæculo-
rum mansuram? Paulus ad Gal. 1. 8. ait:
*Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet
vobis, præterquam quod evangelizavimus
vobis, anathema sit;* & addit: *Sicut præ-
diximus, O nunc iterum dico, si quis vobis
evangelizaverit præter id, quod accepistis,
anathema sit.* Si Angelo aliquid contra-
rūm receptæ doctrinæ fidei annuncianti
credendum non esset: quantis opus erat
miraculis, ut homini alicui de rebus tan-
ti momenti credatur? nimirum: Ecclesiam
Christi supra petram fundatam, adversus
quam portæ inferi non prævalebunt, esse
collapsam; in Ecclesiam Christi sanctam
(cujus *Lex immaculata*, Psal. 18. 8. quæ est
arbor bona, quæ malos fructus facere nō
potest, Matth. 7.18.) idolatriam esse in-
vectam; Ecclesiam Christi Sponsam à Fi-
de defecisse, & adulteram Sathanæ factam
esse; omnes esse in statu damnationis:
Religionis edoctoræ à Spiritu Sancto omnē
veritatem maximos articulos esse refor-
mandos: ad hanc reformationem missos
esse Lutherum, Calvinum, Servetum, &c.
dignum nōne fuisset, ut ejusmodi refor-
mator omnia à Prophetis, ab Apostolis, à
Christo patrata miracula exhibuisset?

III. Religio Romana, quæ nunc viget,

(ut ipsi fatemini) est plus quam à mille
aunis in possessione, ut à toto mundo ha-
beretur pro vera Christi Religione; & qui
ab ea recesserunt, habeantur pro Hæreti-
cis: ergo sive maximis signis Divinis,
quibus clare ostendatur, possessionem fu-
isse iniquam, non potest deturhari. Debu-
issent autem signa fuisse adeò perspicua,
& ita intellectum humanum convincen-
tia, ut nullus relinquatur dubitandi locus;
alias non tenebamini Luthero, Calvinio,
vel Serveto credere, sed potius tam diu-
turnæ possessioni inhærente, & favore, nec
Religionem Romanam deferere: sicuti
allegare debuissetis possessionem privile-
giorum vestræ Civitatis, si impostor ille
quo casu ea in dubium vocasset.

Denique Religio Romana omnibus sæ-
culis habuit, & nunc habet miracula plu-
rima, quæ, ut dixi, sunt testimonia Divi-
na, sunt patentes Divinæ; habet plurimos
Sanctos: consequenter vestri illi refor-
matores majora debuissent miracula fe-
cisse, majorem in se, ad minus sanctita-
tem ostendisse, ut illis credatis, & à Reli-
gione Romana discedatis. Ex his patet
vos temerè, & cœcè egisse, dum sive si-
gnis Divinis, & miraculis Luthero, Calvi-
no, Serveto comparentibus, séque ad re-
formandam Religionem missos jactanti-
bus credidistis.

Calv.

Cato. Non debetis à nobis exigere miracula; nos enim prædicamus doctrinam antiquam, quam Apostoli, & Martyres innumeris miraculis confirmârunt, & hanc probamus ex Scripturis sacris. *Cath.* Innanter id afferis: ostendam doctrinam vestram esse novam, Apostolicæ, & toti antiquitati contrariam, quam proinde Apostoli, & Martyres suis miraculis non confirmârunt; hac vice tamen eò discursum non deflectam, nec à proposita quæstione recedam. Articulos vestros probatis ex Scriptura, sed sensu tantum vestro, non juxta consensum Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, qui ante præsentes controversias vixerunt, ac proinde partiales esse non poterant. Deinde articulos vestros ex Scriptura sic tantum probatis, ut argumenta vestra instar telæ aranearum à Catholicis dissolvantur. Demum talibus argumentis probatis Apostolos, & Martyres miraculis confirmâsse Religionem vestram, qualibus Lutherani, Unitarii, Anabaptistæ, & alii Hæretici, vobis omnino contrarii, probant Religionem suam: ergo vel omnium probationes admittere debes, vel quod tuam rejiciam, ægrè ferre non potes.

Constat item Lutherum, Calvinum, Servetum, &c. aliter docere, quam ante

prædicationem illorum docuerint ordinarii Ecclesiæ Pastores. Constat etiam, eos ab ordinariis Ecclesiæ Pastoribus missos non esse; ergo non tenebamini illis credere, nec eos recipere, nisi suam missiōnem, & Apostolatum probâissent Divinô testimoniô. Accedit, quòd credatis, nihil esse credendum, nisi quod Scriptura expressè dicit: ostende, quæso Scripturam, quæ dicat Lutherum, Calvinum, Servetum missum ad reformatam Religionē. Opus igitur erat miraculis.

Calv. Joannes Baptista missus erat extraordinariè; & tamen signum nullum fecit. *Cath.* Etsi Joānes ipse non fecerit miracula, tamen multa, & magna facta sunt in eo; conceptus enim est ab anū sterili; Pater ejus obmutuit, & posteà soluta est lingua ejus in nativitate filii; in utero ad præsentiam Christi exultavit; à puerō in desertis locis vixit. Deinde Joannes erat Filius Sacerdotis, ac proinde Sacerdos, ac ordinarius minister. Præterea nihil docuit contra communem doctrinam, neque à cæteris Sacerdotibus, & populo sē segregavit; & quanquam Principes, & Pharisæi eum odissent, quòd Christum prædicaret, tamen interrogati à Christo Domino, Matth. 21. Quid sentirent de Babitimo Joannis, non sunt ausi illum improbare.

De-

Denique ut Josephus Lib. 18. antiquit. c. 10. testatur: Joannes habitus est inter præcipuos viros à Judæis, ob justitiam, & vitæ prohibitatem.

Calv. Antichristus faciet miracula; ergo ejus doctrina erit vera? *Cath.* Miracula Antichristi erunt mendacia, non solida; apparentia tantum, non absolutè miracula; non ille suscitabit mortuos, non illuminabit cœcos. Erunt miracula Antichristi tantum talia, qualia possunt fieri arte Dæmonis. Patet id ex Apoc. 13. ubi pro maximis ejus miraculis ponitur, quod facturus sit ignem de cœlo descendere, & ut imago bestiæ loquatur: hæc autem Diabolo facilia sunt.

Calv. Augustinus contemnit miracula Donatistarum. *Cath.* Meritò contemnit; non enim erant vera miracula, qualia sunt Sanctorum, sed tantum erant occultæ visiones quædam, quas illi sine ullo teste jactabant se vidisse: has contemnit meritò Augustinus.

Calv. Ad sepulchrū Hyeremiæ siebant miracula ope Dæmonum; nam populus Hyeremiam pro Deo sacrificiis colebat. *Cath.* Falsum est, quod populus sacrificiis coluerit Hyeremiam; id enim sine fundamento assertur, ac proinde miracula illa à Diabolo facta esse, male concludis.

Cato. Vespasianus Imperator cœco su-
men, claudio gressum scribitur reddidisse;
ergo Religionem ejus veram fuisse dices?
Catb. Nec verè cœcus, nec verè claudus
curatus est à Vespasiano; nam, ut scribit
Cornel. Tacit. L. 4. Hist. interrogati me-
dici, an morbi illorum curabiles essent?
responderunt esse curabiles: igitur mi-
rum non est, si morbi naturaliter curabi-
les operâ Diaboli curati sint. Tertullia-
nus autem dicit in Apologia c. 22. Credi-
bile esse totum illum morbum fuisse à
Diabolo, qui infidens in oculo unius, &
alterius tibia, impediret usum eorum mē-
brorum, idque eo fine, ut videretur sanare,
cùm desineret nocere.

Cato. Socrates scribit in Ecclesia Nova-
tiā verum contigisse miraculum; ergo
saltem Ecclesiam Novatianam debes dice-
re veram. *Catb.* Factum est apud Nova-
tianos verum miraculum, at non in con-
firmationem Ecclesiæ Novatianæ, verūm
in confirmationem Ecclesiæ nostræ Ro-
manæ, & baptismi nostri. Id enim pro
miraculo scribit Socrates, quòd, cùm ad
Paulum Episcopum Novatianum venisset
Judæus quidam impostor, ut ab eo bapti-
zaretur, & apud se baptismum irrideret,
continuò tota sacri fontis aqua evanuit.
At non fuisse miraculum hoc ad confir-
matio-

mationem Novatianæ sectæ factum, sed ad confirmationem veri baptismi, per spicuum est ex eo, quod idem Socrates subjungit: cognitum paulò post fuisse, Judæum illum jam antea baptizatum fuisse ritu Catholico ab Attio Constantino-politano Episcopo. Itaque quia Deus noluit irrideri baptismum in Ecclesia ritè suscepsum, non permisit impostorem Iudeum ab Hæretico Episcopo iterum baptizari.

Iuth. Si miraculum desideras in Religione mea, ego illud dabo. Maximum miraculum est, brevi tempore tam multos Lutheri doctrinam amplexos esse, sicut miraculum fuit, quod Apostolicam doctrinam brevi tempore tot gentes sint amplexæ. *Cath.* Etiam ad Arianos, Anabaptistas, Turcas, multi brevi tempore confluxere: ergo omnes has Religiones dices esse veras? omnes miraculorum gloriæ gaudere? Miraculum sine dubio fuit, quod Apostoli pauculi gentes tot converterint; Gentes siquidem brutorum more cupiditates suas sequebantur, ea solùm, quæ carnis, & sanguinis sunt, sequebantur; à quibus desideriis, & tanta vitæ licentia quod illos Apostoli pauci per Evangelium retraxerint, & effecerint, ut arduam, carnis desideriis contrariam vi-

tam ducant, sanè mirandum fuit; Tuum pariter argumentum aliquam speciem haberet, si Religiones vestræ essent severiores, & carni asperiores, quām sit Religio Romana: sed cūm vestræ, carni omnem vitæ licentiam tribuant, & Religionis Romanæ severitatem abrogent, quid mirum, quòd multi eas sequantur: tam parum mirandum id est, quām, quòd gravia amotis impedimentis deorsum ruant, vel flumina in mare procurrant; corrupta natura maximè propendet ad licentiam vitæ, quam, tūm in vestris Religionibus videat, aliquam ex iis si amplectatur, non ideo amplectitur, quia videt eas esse sanctiores; sed quia in illis invenit, quod quererebat, eoque frui potest absque metu, sub honesta specie Religionis. Hoc fuit motivum omnium Sacerdotum, & Religiosorum, quotquot à nobis ad vos transierunt.

DISCURSUS UNDECIMUS. Ad Ecclesiam Christi gentes converuntur.

Catb. **A** Beras Domine Unitarie, dum utiliter de miraculis Ecclesiæ Christi discurrissimus. *Unit.* Ad Oppidum Déés, diel itinere distans, me gravia avoca-

avocaverant negotia. *Theod.* Quid loci est illud Oppidum? *Unit.* Est locus celebris à fodiinis salis, sed celebrior ab eo, quòd Majores nostri ex Scythia exeuntes, idolorum cultui dediti, ibi primùm de vero Deo, Creatore Cœli, & terræ sint edicti; in cuius rei memoriam, columnam lapideam, quæ & hodie visitur, erexerunt, Oppidūmque ipsum à voce *Deus* est nominatum; nunc verò uersò in e*D̄es* nuncupatur. *Theod.* Majores nostri, ad Christum dum sunt conversi, quam, quæso, sunt amplexi Religionem? *Unit.* Si verum fateri volumus, Unitariam, Calvinianam, vel Lutheranam non sunt amplexi, sed Romanam. Nam ad Pontificem Romanum Stephanus Legatos misit, ab eo Episcopos petiit, ab eo coronam accepit. Monachis pœnè inumeris majores nostri Cœnobia fundarunt, Templa cum Altaribus, in quibus Sacrificia offerebantur, exstruxerunt; in eo tamen miserè delusi sunt, quòd, dum unum genus idololatriæ deseruissent, amplexi sint alterum: prius adorabant Martem, vel Herculem, aut verò similius Acinacem; ex post panem, & vinum, mortuos homines, & eorum imagines. *Cath.* Non sic discurre Domine Frater; sed ex Gentium conversione, & ad Romanam Religionem accessione, con-

clude Romanam Religionem esse à Christo fundatam. *Theod.* Discurre, quæso, clarius, & fusiùs de hoc argumento. *Cath.* Illa Religio debet censeri à Christo fundata, ad quam semper fuit Centium conversio: Deus enim passim in Scripturis hanc gentium conversionem ad fidem, & verum DEI cultum promisit, *Psal. 18. 8.* *Lex Domini immaculata, convertens animas.* *Psal. 21. 28.* *Adorabunt in conspectu ejus omnes familia Gentium.* *Osee 2. 24.* *Et dicam non populo meo, populus meus es tu:* & ipse dicet: *Deus meus es tu.* *Rom. 9. 29.* *Ose. 1. 10.* *Joan. 10. 16.* *Ifai. 2. 2.* Fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suis, ambulabimus in semitis ejus. *Ifai. 55. 5.* Ecce gentem, quam nesciebas, vocatis: & gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum. Et alibi passim. Quæ promissio impleri debet juxta *Matt. Marc. Luc.* ultimum caput; atqui Religio, ad quam gentes omnibus sæculis convertuntur, est Religio Romana; ergo Religio Romana est à Christo fundata. *Theo.* Quomodo doces, quòd Gentes ad Romanam Religionē accesserint, quòd fidem Romanam amplexæ sint, & quòd tales Gentium acces-

accessiones singulis sæculis contigerint?
 Cath. Id negare nemo potest, nisi fors
 cœcus sit; & facile probatur. Primô enim
 sæculo, quotquot Gentes per Apostolorum
 conversæ sunt, Romana Fide imbutæ sunt,
 hanc sunt amplexæ: ideo Paulus ad Rom.
 1. 8. ait: *Primum quidem gratias ago Deo
 meo per Jesum Christum, pro omnibus vobis,
 quia fides vestra annuntiatur in universo
 mundo.* Hinc &c. 12. fidem Romanam vo-
 cat fidem suam: *per eam, qua invicem est,*
fidem vestram, ac meam.

Secundô sæculô fidem Romanam am-
 plexi sunt Indi per S. Pantænum, Clemen-
 tis Alexandrini Magistrum instructi. Item
 Angli cum Lucio primo Rege, qui, missô
 ad Eleutherium Papam Legatô, Pastores
 spirituales petiit, ac obtinuit Aristobu-
 lum, Fugatium, & Damianum. Redierant
 tamen Angli ad idoliatriam sub Diocle-
 tiano, sed rursus sæculô 6. fidei Romanæ
 sunt restituti à S. Augustino Cantuariensi
 Episcopo, & Monachis à S. Gregorio Papa
 missis. Hoc ipsô sæculô conversi ad fi-
 dem Romanam Nervii, & Morini per San-
 ctum Fulcianum. Item Celtæ, Sequani, Ar-
 lobroges per S. Irenæum.

Tertiô Sæculô, Gallia sub Severo Im-
 peratore. Universalius verò circa annum
 500, Clodovæi Regis exemplô per S. Khe-
 mi-

migium Rhemensem Episcopūm. Item A-
rabia per Originem. Scotia admissis Vi-
ctoris Papæ Legatis sub Doraldo Rege. I-
tem Gothia, Svecia, Norvegia.

Quartō Sæculō, magna pars Imperii Ro-
mani cum Constantino Imperatore bapti-
zato à Sylvestro Papa. Longobardi sub
Agelmondo Rege. Hunni per Theotim-
um Scythiæ Episcopum. Marcomanni
per suam Reginam. Indi interiores per
Frumentium. Nomadæ per S. Chrysosto-
mum.

Quintō Sæculō, accessit Romanæ Reli-
gioni Burgundia cum Rege Gondefilo per
Domitianum Genu. Epis. Francia denuò
sub Rege Clodovæo. Scotia per Palladi-
um denuò. Hybernia per S. Patritium.
Æthiopia sub Rege Abrahamo. Acce-
runt & Saraceni cum Rege Alamundaro.
Vindelici, Norici, Rugi, ac vicini per S.
Severinum.

Sextō Sæculō, accessit Bavaria per San-
ctum Rupertum. Longobardi cum Adul-
pho Rege. Angli denuò per S. Augusti-
num Episc. Hispania, & Occitania cum
Recaredo Rege.

Septimō, Flandria per Sanctū Eligium.
Franci orientales per S. Kilianum. An-
gli orientales sub Sigiberto Rege per
Mellitum Episcopum. Germani, Hollan-
di,

di, Frisones per Villelbrordum, & Suvit-
bertum Episcopos. Hispani, Judæi per
Sisebutum Regem. Sclavi ultra Danubi-
um.

Octavō, Alemani per S. Corbinianum.
Avares cum Rege Tudone. Daci, Brabant̄
per Hubertum Episc. Saxones inferiores,
& Frisones per S. Ludgerum.

Nonō. Accessit Dania sub Rege Sivar-
do. Sclavi Dalmatiæ incolæ. Saxones
Carolo magno annittente. Ungari, Bulga-
ri, cum Cacano Rege. Russia sub Basilio
Macedone. Normaňia cum Gothofredo
Rege. Dania iterum cum Arioldo Rege.
Triballi, Moravi.

Decimō, Polonia cum Miceslao Princi-
pe. Moscovia cum Libero Duce. Prussia
cum Vildomino Duce. Bohæmia cum
Duce Zipſinæo. Norvegia. Iterum Da-
nia cum Haraldo Rege. Ungaria per S an-
dum Stephanum Regem. Russia per S.
Bonifacium.

Undecimō, Pannonia, Toletanum Re-
num, Vindi, Sclavi, Saxones plenè per
S. Helmaunum. Ungari reducti per An-
dream Regem. Pomerani.

Duodecimō, Gothia cum suo Rege. Li-
vonia per S. Menardum. Pomerania de-
nuò. Filandia per S. Henricum Episcopū.
Soldanus Iconii per petitos ab Alexan-
dro

dro III. Instructores. Svecia per Adria-
num IV. postea Pontificem.

Decimô tertîo, Tartaria cum Rege Cas-
sahan. Livonia iterum. Prussia, Jaziges.

Decimô quartô, Litvania cum Jagello-
ne Principe, Samogitii, Cumani, Bosnen-
ses, Lipnenses, Patrini, annitente Ludo-
vico Ungariæ Rege.

Decimô quintô, Gvineenses, Ango-
lani, Congenses.

Decimô sextô, Indiæ orientales, & oc-
cidentales per variorum Ordinum Regu-
lares; sed præsertim per S. Franciscum
Xaverium: uti & Japoniæ Regnum.

Decimô septimô, & currente 18. Sinæ
per varios Religiosos, Æthiopia, Re-
gnum Magoris, & Tiber, Novæ Franciæ,
Regnum Tunchinense.

Ex quibus clarè constat, omnes Gentes,
quæ ex Paganismo conversæ sunt ad Chri-
stum, conversas esse ad fidem Catholicam
Romanam: quam enim illis a annunciâfissent
Episcopi, & Religiosi, Romanæ fidei ad-
dictissimi, à Sumo Pontifice Romano ad id
missi? quod etiam præter reliqua indi-
cant Sacerdotes, altaria, Sacrificium Mis-
sæ, cultus Reliquiarum, invocatio Sancto-
rum, Monasteria, Monachi, & alia Catho-
cæ Religionis propria, quæ post conver-
sionem apud omnes illas gentes vigue-
runt,

runt, donec apud aliquas, per novitias
vestras Religiones fuere sublata.

Ex his inferri debet Religionem Catholicam esse à Christo institutam: in hac enim impleri videmus illam de Gentium conversione Divinam promissionem. Ad hanc, relictis idolis, vitaे impuritate, uxorum multitudine, morum feritate, & barbarie, abdicatâ pristinâ vivendi licentiâ, videmus convolare tot populos, tot nationes, tot regna potentissima, & in ea mansuescere sub jugo Christi, imbiber timorem Dei, formari ad omnem vitaे honestatem, accendi ad contemptum temporalium, & amorem Cœlestium.

Unit. Hæc ego fateor: sed, uti superius dixi, omnes istæ nationes miseræ delusæ sunt, Religioni Romanæ adhærendo.
Cath. Incredibile est, ut Deus clementissimus, qui omnes homines vult salvos fieri, qui facientibus, quod in se est, gratiam non denegat, qui credentibus, & petentibus data optima tribuit, tot jam sæculis omnes Gentes, cum idolatriam deserrere, veritatem totis animis amplecti, & ad Ecclesiam Dei se aggregare voluerunt, permiserit decipi, & ad alios errores funestos, novâmq[ue] idolatriam impelli, idq[ue] per eos, qui ab omnibus habebantur in Ecclesia pro Ministris legitimis, qui sancti-

sanctitate vitæ, sapientiâ, miraculis clari fuerunt. *Theod.* Absit, ut de Divina bonitate sic sentiamus; id enim videtur decere providentiam DEI, omnes homines salvare volentis.

Cath. Date mihi jam Domini gratioſi Gentes, nationes, Regnáque, quæ ex paganismo ad vestras Religiones accessiſſent, quæ se vobis ob prædicationem vestrorum Ministrorum, ob miracula ab iis exhibita, univiffent. Tacetis: & meritò quidem; ad vos enim ii duntaxat accesserunt, qui Christianum nomen præferentes, pristinæ Religionis, & disciplinæ pertæſi, libertatem carnis, & novitatem se&tabantur, quod est perspicuum Hæreses argumentum. Hæresis enim nihil aliud est, quam Catholicæ doctrinæ corruptio, & Christianorum à pristina Religione retento nomine Christiano defectio.

Luth. Quid gloriaris tantoperè de hac Gentium ad fidem vestram accessione? an nescis totā Gentem Gothicam ex gentili factam fuisse Arianam? An ideo Religio Ariana vera tibi videbitur? *Cath.* Falleris, dum dicis totam Gentem Gothicam ex gentili factam fuisse Arianam: conſtat ex Socrate, Sozomeno, Theodo-reto, majorem partem Gothorum fuisse Christianam, & Catholicam, & ab Arianis poſtea

postea deceptam: quorum errorem sic factum intellige. Gothi de finibus suis egressi, dum sub Romani Imperii auspiciis militarent, & multa præclara de Christianis audirent, sua sponte (nullô præviô Arianorum labore, vel exhortatione) ab Imperatore petierunt Episcopos, à quibus docerentur. Imperator, quia Arianus erat (quod Gothi ignorabant) Arianos misit Episcopos, atque ita Gothi miserè decepti, dum volebant fieri Christiani, facti sunt Arianî: quæ enim difficultas instillare venenum, homini parato ad illud sumendum.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Ecclesia à Christo fundata debet esse Catholica.

Unit. **M**agno labore pervolvi historias meæ Ecclesiæ, nec tamen inveni, ut iterum fateor, ullam nationem ex Gentilifino ad Unitariam nostram Religionem conversam esse: Accessitne ad Religiones vestras, Domini Calvinistæ, & Domini Lutherani, aliqua natio barbara? *Calv.* Nolo me nuncupari Calvinistam, Reformati vocamur. *Luth.* Et ego ægrè audio Lutheranus, cum Evangelici nomen mihi competit. *Cath.* Ego contentus sum,

sum, sive vocer Catholicus, sive Pontificius, vel Papista, id est, is, qui sequor Religionem, quam tenent Romani Pontifices.
Calv. Luth. Nos quidem Catholici sumus, at non Pontificii; Papam enim velut Antichristum execramur. *Cath.* Quod Calvinistæ, vel Lutherani dici nolitis, non miror, cum horum vestrarum Religionum Authorum Doctrinam totam non sequamini; verum solùm id credatis, quod vester vobis privatus dicitat spiritus: credo etiam pudet vos horum Authorum. Quod vero velitis dici Catholici, illud non capio, uti nec id, quod vobis competit nomen Reformatorum, Evangelicorum. *Theod.* Discurras, quæso, per singula uberiūs.

Cath. Nulla Religio potest vocari Catholicica, nisi Romana: illam vocant Catholicam ipsi Hæretici; nec unquam sibi hoc nomen usurparunt, qui ab Ecclesia Romana se segregarunt: Catholicum enim id est, quod universale, latissimè patens, ad omnia tempora, & loca se extendens; talis autem est Religio Romana, quæ per totum orbem terrarum se extendit ad omnes gentes, ad omnia Regna, & ad omnia tempora. Nullum enim est Regnum, nulla Gens nobis cognita, quæ Romanam Religionem vel non habet adhuc, vel aliquando non habuerit, vel modò non inci-

incipiat habere. Imò hoc tempore pœnè apud omnes Gentes est publica ejus professio; nimirum apud Europæos, Japones, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Sinas, Afros, Brasilos, Peruanos, Mexicanos, &c. omnibus enim his locis reperiuntur Tempa, altaria, imagines Christi, & Sanctorū; celebrantur Missæ, administrantur nostra Sacra menta, servantur Festa, & Jejunia: denique servatur Religio Romana. Extendit se etiam Religio Romana ad omnia tempora, quæ ab Apostolorum temporibus fluxere. Nulla enim ætas, nullum sæculum ab eo tempore assignari potest, quō hæc Religio non fuerit; omnibus sæculis celebrata est Missa pro vivis, & defunctis, celebrata festa, servata jejunia, & vota Monastica, invocati Sancti, honoratæ Sanctorum Reliquiæ, & alia Religionis Romanæ propria in usu fuere, ut ex omnium ætatum Scriptoribus constat.

E contrario: nec Religio Lutherana, nec Calviniana, vel alia est per orbem diffusa, ut manifestum est, nec à temporibus Apostolorum durat. Nunquam enim ante Lutheri, Calvini, vel Serveti tempora corpus doctrinæ, id est, articuli simul sumpti Religionis Lutheranæ, Calvinianæ, vel Unitariæ, in ullo Regno, abulla natione sunt observati, & crediti,
nec

nec à Scriptoribus annotati : igitur hæ Religiones universales non sunt, nec ratione locorum, nec ratione temporum ; sed potius novæ, & pauculis locis affixa, ac proinde Catholicæ nec debent dici, nec possunt.

Theod. Cur autem Calvinistæ non possunt dici Reformati ? *Cath.* Ob eam rationem, quia falsè, & inaniter supponunt Ecclesiam fuisse deformatam, à fide Christi defecisse, in idolatriam incidisse, quod Ecclesiæ Christi contingere non potuit : illa enim est infallibilis, *columna, & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. 15. adversus quam portæ inferi non prævalebunt, Matth. 16. 18. Regitur, & docetur à Spiritu Sancto, Joan. 14. 26. Proinde in fide errare non potuit, consequenter nec reformati. Sed nec quò ad mores Ecclesia à Calvino est reformata ; Ecclesia enim uti nunc, ita & ante Galvinum ad sectandam justitiam homines stimulabat, præcepta Divina, vota Deo facta servanda esse inculcabat, jejunia servanda, pœnitentiam pro peccatis agendam præcipiebat, peccandi licentiam adimebat, &c. Religio Calviniana autem prædicta destruit, licentiam peccandi tribuit ; igitur non potest dici Ecclesiam reformassse, sed potius deformatissse.

Theod.

Theod. Cur demum Lutherani non possunt dici Evangelici? *Cath.* Pete ab iis rationem peculiarem, cur præ Calvinistis, Unitariis, Anabaptistis, velint dici Evangelici? Si rationem congruam dederint, concede illis hunc titulum. Nisi fors ea de causa Evangelici dici velint, quod contenti Evangelii lectione, præcepta ibi contenta ad se non pertinere; quod consilia Evangelica servanda non esse statuantur; haec est doctrina hujus novæ religionis, quæ nuper secundum sæculum se celebrasse gloriatur.

Luth. Injuriam nobis facis, dum Ecclesiæ nostram vocas novam. *Cath.* Injuriam non facio, dum veritatem enuncio: Religio tua nonne multis sæculis post Apostolica tempora extulit caput? censene Religionem Hussiticam, vel Anabaptisticam novam? quomodo novitatis eam convinceres? *Luth.* Novam censeo utramque, & novitatis convincerem, ostendendo primos earum Authores diu post Apostolica tempora comparuisse. Ostendendo tempus, locum harum Religionum: item qui se iis opposuerint, qui eas damnaverint. *Cath.* Bene discurris. At etiam Religionis Lutheranæ (idem est de Calviniana, Unitaria, &c.) assignare possumus primum Authorem; offendere

possumus, eum tardè post Apostolos comparuisse: item ostendere possumus tempus, locum, modum, quo Religio hæc incepit; item qui se ei opposuerint, qui eam damnaverint, quæ ob illam turbæ excitatæ sint, &c. Certè ante annum 1517, Religio Lutherana non fuit in mundo; constat enim ex Scriptoribus Ecclesiasticis, eo tempore, quo Lutherus se ab Ecclesia Romana segregavit, præter Judaicam, Mahometricam, Paganam, & Huiusmodicam, non fuisse, nisi Religionem Romanam Catholicam. *Luth.* Lutherana Evangelica etiam fuit, sed latuit. *Cath.* Ubi i in quo Regno, vel Oppido latuit? qui fuerunt ejus defensores? unde scis, quod extiterit (sic enim Unitarii, & Sabbatarii de suis Religionibus possunt discurrere) cum id non nisi ex Scriptoribus constare potest, qui tamen nihil tale insinuant, sed potius contrarium. Præterea quod pœtô ita latere poterant ejus cultores per tot sœcula, ut in manus Inquisitorum, qui persequebantur alienos à Romana Ecclesia, non inciderint? nunquam certè aliqua secta ita latere potuit, quin sœpius ejus cultores deprehenderentur. Item si ante Lutherum Religio vestra erat in mundo, cur illi latitantes, prædicante Lutherò, se illi statim non associarunt, agnoscentes suæ Religio-

ligionis vindicem, suæ fidel Doctorem? nulli certè tales comparuerunt, qui jam ante illâ Religione fuissent imbuti; sed omnes, qui se illi adjunxeré, antea Romanam colebant Religionem, sicut & ipse Lutherus erat prius Catholicus, Monachus, Sacerdos. Si aliquem ante prædicationem Lutheri, aliquot saltem annis veram Religionem tenuisse posse dicere, deberes dicere, tenuisse eam ipsum Luthe- rum; at quomodo id ipsum de illo dice- re audebis? sequitur enim, quod hic ve- ster Apostolus, electus singulariter à Deo ad reformandam Ecclesiam minister, con- tra suæ Religionis Principia in Monacha- tu idololatriam exercuerit, Sanctos invo- cando, Missas celebrando, quas celebrâsse se fatetur, & quidem devotè. Lib. de Missa angulari, & Lib. 2. contra Zwingli- um. Cur item Scriptores tam varii, qui res, etiam minutissimas, posteritati tradi- derunt, tanti momenti rem non adnotâ- runt?

Luth. Tempore Eliæ latebat Ecclesia Dei ob persecutionem Jesabelis, ita ut E- lias putaverit, se solum manisse fideliem; cùm tamen præter illum fuerint septem millia virorum, qui non curvavérunt ge- nua ante Baal, ut patet ex 3. Reg. 19. Si- militer igitur latere potuit Ecclesia Luthe-

rana ob persecutionem Pontificum.

Cath. Si solùm esset quæstiō de exiguo tempore latendi, quo sævit persecutio, (sicut tempore Jesabel in Samaria) tua responsio fors aliquid valeret; verūm ut tot sæculis occulta manserit, fieri non potuit, nec potes aliquid exemplum adferre in tota antiquitate; nec enim potest esse artificium tegendi sensa animi in causa Religionis, in notabili cœtu hominum, quin successu temporis detegatur: Imò si tam notabili tempore tegeret, jam talis cœtus hominum non esset Christi Ecclesia; Ecclesia enim non erubescit confiteri Christum coram hominibus. Religio Christi quocunque penetravit inter Ethnicos, non diu latuit, sed mox se aperuit, licet magna imminerent pericula. Pari modō detectæ sunt hæreses, & hæretici, quamvis niterentur fidem suam occultare, uti detecti sunt Pelagiani, Manichæi, &c.

Deinde etsi concederetur, aliquo tempore Dei Ecclesiam fuisse occultam, (nec enim sequitur fuisse occultam ex eo, quod Elias se solum relictum putaverit) ob persecutionem Jesabelis; absolutè tamen, & universè occulta non fuit: in Juda enim publicè verus Deus, cultu vero colebatur, erat ibi templum Dei, veri Sacerdotes, publica

blica sacrificia, Verbi Dei sincera prædicatione, & concursus fidelium.

Mirum non est, in aliquo particulari loco, vel Regno Ecclesiam per aliquod tempus (id enim sæpe fit) occultari; sed ut absolutè toto orbe, tot sæculis occulta sit, fieri non potest, cùm Ecclesia sit *Civitas supra montem posita*, ut omnes gentes eam videant, & ad eam accurvant, juxta vaticinium Isa. 2. 3. *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum DEI Jacob, & docebit nos vias suas, &c.* Imò etiam in locis, quibus subinde ob persecutionem se occultat ad tempus, nunquam ita latet, quin multis indiciis se prodat, & famam sui excitet, etiam si crudelissima immineat persecutio: sic tempore Elisabethæ Reginæ in Anglia, nemo dubitabat plurimos esse Sacerdotes, licet studiosissimè in eos inquireretur. At quæ unquam fama, quæ suspicio, quis sermo fuit de Religione Lutherana? nullus historicus, nullus scriptor, vel Lutheranæ Religionis, vel hominum, qui tale corpus doctrinæ tenuerint, meminit. Mera ergo desperatio est ad hoc præsidium occultationis confugere.

Ex quibus clarum est, Religionem Lutheri novam omnino esse, & ante illius tempora mundo incognitam, neque ullum hominum cœtum, aut etiam personā

fortè particularem ante Lutherum extitisse, qui eandem Religionem, hoc est, eadē fidei capita, idem corpus doctrinæ fidei tenuerit. Et si enim aliqua dogmata à veteribus Hærecicis acceperit; non tamen idcirco eadem est Religio Lutherana, & veterum Hæreticorum, nisi secundūm partem; nam Religio est complexio omnium capitum, quæ ad fidem pertinere statuuntur. At nemo ante ipsum eandem dogmatum complexionem docuit.

Theod. Videtur clarum, Religionem Lutheranam esse novam. *Cath.* Ostendo id etiam alia ratione. Constat veteres Patres, & Doctores, qui singulis s̄eculis florerunt, Religionis Lutheranæ non fuisse; nam illi admittebant libertatem arbitrii, necessitatem bonorum operum, merita vita æternæ, probabant invocationē Sanctorum, cultū Reliquiarum, & imaginum, Sacrificium Missæ pro vivis, & defunctis, ordinationem Ministeriorum, votorum Monasticorum observantiam, Evangelica consilia, Quadragesimalis Jejunii usum, & similia: quæ Religio Lutherana, tanquam superstitiosa, Deo injuriosa, & impia reprobat, & rejicit. Quod autem veteres Patres omnia illa fateantur, clarum est ex eorum Scriptis, nec ipsi Lutherani negant. *Lutb.* Iſi erant veterum Patrum nævi, in sub-

substantia nobiscum conveniebant. *Cath.*
 Pulchrè sane discurris; superstitionem, i-
 dolatriam nævos vocans; Ergo existi-
 mas idolatriam ipsam non mutare sub-
 stantiam Religionis? *Quod si superiorum*
sæculorum Doctores Religionem Lutheran-
am non coluerunt, sed ejus placita pas-
sim improbarunt, perspicuum est, eam. *—*
Religionem non esse antiquam, sed no-
vam, neque à Christo fundatam. Nam
in Ecclesia non fuit aliqua Religio habita
pro Christi Religione, præter eam, quam
Patres, & Doctores tenuerunt. Ex his
clarè sequitur, Religionem Lutheranam
non esse Christi Religionem; Christi enim
Religio à temporibus Apostolorum fuit,
in mundo; Lutheri ante annum 1517, nō
fuit. Rursus, si Religio Lutherana est vera
Christi Religio, cœtus hominum eam te-
nentium est vera Christi Ecclesia: ergo
Christi Ecclesia ante Lutherum non fuit;
quia neque Religio Lutherana, quæ Eccle-
*siam constituit, ante Lutherum fuit. *Lutb.**
Fuit etiam temporibus Apostolorum, &
*prioribus sæculis. *Cath.* Audio: at pro-*
ba assertum; ostende tunc aliquos fuisse,
qui illam complexionem dogmatum te-
nuerint. Ecce hæres; nos contrarium fa-
cile probamus: nam constat, Sacrificium
Missæ pro vivis, & defunctis, ordinatio-

nes Ministerorum, vota Monastica, & similia, quæ Lutheranæ Religioni repugnant, temporibus Apostolorum, & proximis saeculis in Ecclesia fuisse. Deinde estò temporibus Apostolorum, & aliquamdiu postea fuisse, tamen tertio saltem, & 4-tô saeculo cœpit omnino deficere, ut fatemini etiam in opere Centuriarum, Centuriâ 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. c. 4. Ergo saltem per mille ducentos annos, vel per 1300. annos Christi Ecclesia collapsa est, & intercidit; ut minimùm enim tam diu constat Religionem Lutheranam non fuisse, sed ei prorsus contrariam viguisse. Exstincta ergo fuit tot saeculis Religio vera, obscuratum Evangelium, eversa Christi Ecclesia, donec Lutherus emergeret, & eam restauraret. At si Ecclesia tot saeculis intercidit; quomodo veram est, ipsam ædificatam esse supra petram, & non potius supra arenam? quomodo portæ inferi non prævalueré adversus eam? contra id, quod dicitur à Christo, Matth. 16. quomodo ipsa est domus Dei, firmamentum, & columnæ veritatis? 1. Tim. 3. Quomodo Regnum Christi (quod est Ecclesia) est stabile, firmum, æternum, quod nunquam dissipabitur? Dan. 3.

Iutb. Ad hoc iterum repono, quod superius: Religionem Lutheranam omnibus retrò

retrò sæculis usque ad Apostolica tempora fuisse, sed occultam, & latentem. Cath. Iterum reponis ; sed iterum sinè fundamento, & non probas. Demus tandem, ut dicis, fuisse occultam ; ergo hoc ipso Ecclesia Lutherana non fuit Christi Ecclesia. Ecclesia enim Christi (repeto etiam ego) est *Civitas supra montem posita*, quæ abscondi non potest, Matth. 5. Est *Mons domus Domini preparatus in vertice montium, & elevatus super colles, omnibus conspicuus, ad quem fluent omnes gentes*, Isai. 2. 2. Est Regnum Christi diffusum à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ, Psal. 71. 8. Est mons ille magnus replens universam terram, Dan. 2. 5. Ecclesia Christi in mundo debet esse conspicua, tum, ut suo cultu, & decore, suisque moribus, externa specie gentes ad se alliciat ; tum, ut, qui volunt esse Christiani, sciant, quò se debeant conferre, quos adire, à quibus instructionem petere. Si militer ejus fides, & doctrina debet esse manifesta, alioquin mundo esset inutilis, nec posset gentes convertere. Unde etiam in maximis persecutionibus nunquam ita latuit, quin passim cognosceretur, ut ex historiis Ecclesiasticis patet : hinc tanta promanavit multitudo Martyrum. Deinde si tot sæculis latuit, indigna fuit hoc

nomine: quomodo enim potest dici Christi Ecclesia, quæ si ueram Christi doctrinam non audet confiteri? quæ tam pusilli est animi, & ita mortem timet, ut se abdat in tenebras, & tot saeculis non audeat prodire in lucem? Denique quæ tot saeculis, non tantum se occultavit, & siue iam fidei professionem suppressit, sed etiam professa est fidem falsam, nempe juxta vos Romanam Papisticam, adoravit idola, contaminavit se mille superstitionibus, & sacrilegiis? Nam ante Lutherum omnes Christiani exterius in omnibus se gerere, debebant, ut Romano-Catholici, ut Papistæ, alias mox ab Inquisitoribus, & Episcopis deprehensi fuissent, & tanquam hæretici puniti. Miserabilior itaq; & deformior fuisset Christi Ecclesia, quam ruinata Synagoga, seu Secta Judaica, quæ semper suas Synagogas, & liberam suæ Religionis professionem quibusdam locis habuit, nec coacta est, saltem generatim ad idolorum cultum. Imò miserabilior, & deterior omnibus Sectis hæreticis; nulla enim unquam Secta fuit alicujus nominis, quæ non sua Templa, vel domos Religiousas, suos Conventus, suos Episcopos, suæ Religionis formam, & professionem habuerit, ita ut paucim cognosci possent ab hominibus.

Ex his perspicuum est, nihil absurdius dici posse, quam Ecclesiam Christi tot saeculis latuisse. Concludo igitur hoc Dislemmate: vel Religio Lutherana (idem est de Calviniana, & Unitaria) ante Auctorem suum Lutherum exstitit, vel non exstitit? Si non exstitit; ergo est nova, ac proinde non potest esse Religio Christi, quae est antiqua. Si vero exstitit; ergo fuit occulta: ac proinde non potest esse Religio Christi, quae semper fuit manifesta.

Theod. Quid ad haec dicitis? haec me faciunt a vestris Religionibus abhorre, Cath. Ad questionem presentem multum se torquent; sed nunquam bene respondent. De qua si plura scire voles, lege Rñdi P. Martini Szent-Iványi *Lutheranum* *nunquam, & nusquam*. Concludo verbis S. Hieronymi, qui Dial. contra Lucifer: in fine sic habet: *Brevem tibi, apertumq; animi mei sententiam proferam. In illa Ecclesia esse permanendum, qua ab Apostolis fundata, usq; ad hanc diem durat. Sic ubi audiēris eos, qui disuntur Christi, non à Domino JESU Christo, sed quopiam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentini, axos, Montenses, sive Campitas; scito, non Ecclesiam Christi, sed Antickristi esse Synagogam.* Ex hoc enim ipso, quod postea insi-

tuti sunt, eos se esse judicant, quos futuros
Apostolus prænunciavit. Nec sibi blandian-
 tur, si de Scripturarum capitulo videantur
 sibi affirmare, quod dicunt: Cùm & Diabo-
 lis de Scripturis aliqua sit loquutus, & Scri-
 pturæ, non in loquendo consistunt, sed in in-
 telligendo. Novitas ergo signum est Hæ-
 resis ab Apostolo prænunciatæ, appella-
 tio signum novitatis, usurpatio Scripturæ
 omnibus hæresibus, & Diabolo commu-
 nis. Ex his patet, Religiones has non
 posse dici, nec esse Catholicas.

DISCURSUS DECIMUS. TERTIUS.

In Ecclesia debet esse Successio
 Apostolica.

Luth. Mirabilem casum perscriptum
 accepi hodierno cursore; quid non præsumit temeritas! impostor
 quidam egregie vapulavit, parùm aberat,
 quod vitâ ipsâ privatus non sit. *Calv.*
 Narra casum clarius. *Luth.* In regno no-
 stro, quædam antiquissima familia, certæ
 Provinciæ perpetuam Præfecturam à Re-
 ge collatam habet. Recenter mortuum
 Præfectum intellexit impostor, in Provin-
 ciam se festinus contulit, mendaciis variis
 sibi officium Prætoris competere præten-
 dit,

dit, omnibus Leges dictare, ac pro libi-
tu omnia disponere voluit. *Calv.* Ma-
gna hominis audacia. *Luth.* Non pro-
cul progressum habuit cum suis menda-
ciis; dum enim pro prudentia sua inco-
læ Provinciæ ab eo postulâssent, ut defun-
cti Prætoris legitimum se probet Succes-
forem: hic miser deprehensus in frau-
de, inventus non de Prætoris defuncti,
verùm de alio sangvine esse, ab omnibus
rejectus, imposturæ condignas pœnas lu-
it. *Unit.* Putaverit ille, sufficere ad jus
Præturæ acquirendum, si sibi nomen Fa-
miliæ arroget, & confingat. *Luth.* Sic
est: sed dedit pœnas temeritatis. *Cath.*
Utinam vos tam cauti fuissetis in negotio
Religionis! sed reverà toto Cœlo aliter
processistis. *Luth.* Quid iterum moves,
& nos calumniaris? *Cath.* Ausculta, ex-
plico, quod dixi: Rex Cœli, & terræ Ghri-
stus Dominus, commisit Apostolis orbem
terrarum, Rectores mundi eos constituit,
per hos, ac eorum legitimos Successores.
Ecclesiam suam in orbe gubernari voluit.
Comparant Fundatores Religionum ve-
strarum, *Lutherus*, *Calvinus*, *Servetus*; ja-
stant, & comminiscuntur, se esse, nescio,
quos Apostolos, se Evangelicam doctrinā
prædicare, se esse Ecclesiæ Christi Pastores,
eiusq; reformatores: vos nullo præmisso

examine, an reverā essēt Apostolo tūm in officio, & regenda Christi Ecclesia Successores, simplici eorum assertioni, sicut au- res præbuistis, ita & fidem dedistis. An nescitis omnes Hæreticos, Arrianos, Pela- gianos, Anabaptistas, &c. dicere, à se prædicari doctrinām Evangelicām, & Aposto- licam?

Theod. Discurras uberiūs de Apostoli- ea successione. *Cath.* Quoad hanc plu- ra notes, velim.

I. Per successionem Apostolicam intel- ligitur series, seu ordo continuatus Epi- scoporum ab Apostolo aliquo usque ad nostra tempora: hinc, quæ religio non habet hanc Episcoporum ab Apostoli continuatam seriem, non habet Aposto- licam successionem.

II. Ecclesia non potest esse sine Pa- storibus. Quod probatur ex Apostolo Pau- lo Eph. 4. 11. *Ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas; alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in edificationē Corporis Chri- sti, donec occurramus omnes in unitatem fi- dei, & agnitionem Filii Dei, in virum per- fectum, in mensuram atatis plenitudinis Christi.* Ubi docet Apostolus futuros Pa- stores in Ecclesia ad diem judicii; tunc e- nim

nim occurremus Domino in unitate fidei
in virum perfectum, in mensuram ætatis
plenitudinis Christi. Esse autem Episco-
pos Pastores gregis Christi, docet idem
Apostolus Act. 20. 28. *Attendez à vobis. ¶*
universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus
posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Hinc
Ecclesia vera non est, quæ aut nullos, aut
non veros habet Episcopos.

III. Illi soli in Ecclesia habitu sunt ve-
ri Episcopi, qui ab Apostolis per legiti-
mam successionem, & ordinationem de-
scendisse ostendebantur : omnes reliqui
habitū sunt pro furibus, & latronibus ;
quippe, qui non per ostium, sed aliunde
ascendissent. Constat siquidem Christum
authorem Novi Testamenti 12. Apostolos
tantum elegisse Episcopos, & Sacerdo-
tes, & eis commississe omnem authorita-
tem pascendi, & gubernandi Ecclesiam ;
Apostolos autem postea elegisse, atque
ordinasse alios Episcopos, & eis tradidisse
similem potestatē, alios deinceps ordi-
nandi, uti constat ex historiis antiquis
Eusebii, & similium, & recognoscunt eti-
am centuriatores. Et hinc est, quod &
Paulus, qui extra ordinem à Christo post
Ascensionem Apostolus factus est, non
fuisset in Ecclesia agnitus pro tali, nisi pri-
us in Ecclesia fuisset baptizatus, & ab A-
posto-

postolis dextras accepisset; imò & ab il-
lis ordinatus fuisset, ut patet ex A&t. 9.
& 13. Gal. 2. Itaque sicut in veteris Te-
flamenti populo, qui per carnalem gene-
rationem propagabatur, nullus erat de
populo illo Dei, nisi qui descendebat de
duodecim Filiis Jacob, nullus erat Sacer-
dos, nisi qui descendebat à Levi per Aa-
ron: & ideo diligenter in veteri Testa-
mento genealogiæ conservabantur; ita
in populo novi Testamenti, qui spirituali
generatione multiplicatur, nulli sunt
Christiani, nisi per Apostolos, vel eorum
Successores, aut ab eis missos conversi;
nulli Episcopi, nisi qui eisdem legitimè
succedunt, & ideo diligenter à nobis ad-
notantur Episcoporum successiones.

Theod. Quid autem requiritur, ut di-
catur Episcopus legitimè consecratus, ac
proinde ut sit legitimus Episcopus? *Cath.*
Ad id duo requiruntur: unum est Succe-
sio; alterum Ordinatio. Ad Successio-
nem requiritur, ut is, qui verus Episco-
pus haberi velit, succedat alicui Aposto-
lo, qualiter Clemens succedit Petro, Pol-
lycarpus Joanni: vel certè succedat ali-
cui, quem aliquis Apostolus fecit Episco-
pum, prout Ignatius succedit Evodio, &
Anianus Marco, quos Petrus fecerat Epi-
scopos. Vel demum, si Episcopatus est
novus,

novus, ut fiat Episcopus ab eo, qui habet Apostolicam authoritatem, qui est solus Romanus Pontifex. Ratio hujus est: quia institutio novorum Episcoporum non potest pertinere ad ullum, qui habeat definitam Regionem, quales sunt Episcopi particulares; sed ad eum, qui toti Ecclesiæ præest, & cui propriè incumbit cura Ecclesiam propagandi, quales fuerunt omnes Apostoli; Petrus quidem ex officio, cæteri ex delegatione, & quicunque aliter intrat, non est de Ecclesia Apostolica; cum non possit originem suam ostendere ab Apostolis. Nec tamen ob id negandum, quin etiam Patriarchæ, & Metropolitaniani possint aliquando novos Episcopatus erigere, ut fecit S. Athanasius in oriente; S. Bonifacius in Germania, dummodo à Sede Apostolica authoritatem habent ad id faciendum.

Theod. Dic jam de Ordinatione. *Cath.* Ad Ordinationem requiritur, ut, qui fit Episcopus, ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi ab aliis sint ordinati, & illi ab aliis, donec ad Apostolos veniatur. Patet id ex Canone primo Apostolotum, & Concilio Nicæno, & Carthaginensi quarto. Hoc ipsum indicat Apostolus i. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam, qua in te est, que data est tibi per Prophetiam cum impostio-*

sitione manuum Presbyterii. Siquidem nomine Presbyterii intelligit cœtum Episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput Ordinandi, ut exponunt Chrysostomus, Theophilactus, Oecumenius. Neque mirum est, cum nomen Presbyteri commune olim fuerit, Presbyteris, & Episcopis. Itaque tres ad minus requiruntur Episcopi ad novi Episcopi ordinationem; nisi forte ex dispensatione, cum uno Episcopo ordinante ad sint Abbates insulati, qui vicem Episcoporum gerant, ut aliquando fieri solet ob Episcoporum raritatem.

Theod. Solentiae Acatholiei ordinare suos! *Catb.* Antiqui solebant ut plurimum quoad ordinationem Episcoporum imitari Ecclesiam; ideo in iis sancti Patres solum defectum successionis reprehendebant, & ex eo solum probabant, non esse veros Episcopos; quippe, qui ad Ecclesiam Apostolicam non pertinerent; cum per successionem ab Apostolis non ducerent originem. Lutherani vero, Calvinistæ, Unitarii, &c. nec ordinationem, nec successionem habent; ideo mirum est, qua ratione, qua fronte dici, & haberet velint Episcopi.

Hac Successione omnes Veteres, tanquam argumento evidentissimō usi sunt ad

ad veram Ecclesiam ostendendam, & ad
hæreses convincendas; nam per hoc ar-
gumentum ostenditur continuatio Religi-
onis per singula sæcula usque ad tempo-
ra Apostolorum. Audiatur Tertullianus
Lib. de præscript. Cedant, inquit, hæretici
origines Ecclesiarum suarum, evolvant or-
dinem Episcoporum suorum, ita per succe-
sionem ab initio decurrentem, ut primus il-
le Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Aposto-
licis viris habuerit Autborem, & antecesso-
rem: hoc enim modò Romanorum Ecclesia
Clementem à Petro ordinatum refert. Au-
gust. contra Epistolam fund. ait: *Tenet
me in Ecclesia, ab ipsa Sede Petri Apostoli,
sui pacendas oves suas Dominus commen-
davit, usq; ad præsentem Episcopatum Suc-
cessio Sacerdotum.* Alia brevitatis causâ
omittens, sequens formo argumentum:
Ecclesia non potest esse sine Episcopis, ut
ostensum est: apud Lutheranos, Calvini-
stas, Unitarios, &c. non sunt Episcopi;
ergo apud eos non est vera Ecclesia. Lu-
therus habitus est Episcopus Wittember-
gensis; Calvinus Genevensis; (sic discur-
re de aliis) atqui hi non sunt ordinati à
tribus Episcopis, vel ab uno, assistentibus
Abbatibus, uti nec ipsi met negant: ergo
Patrum Nicænorum, & Carthagienum
judicij, imo & judicij Apostolorum, Epi-
sco-

scopum à tribus Episcopis ordinari debere sentientium, Episcopi non sunt; eisq; convenit, quod Cyprianus de simplicitate Prælatorum ait: *Si sunt, qui se ultro temerarios condens, sñè Diuina dispositione præficiunt, qui se Præpositos sñè ulla ordinatio- nis Lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen assumunt.* Ostendant item Lutherus, Galvinus, & alii, cui Apostolo successerunt, vel certè cujus Antistitis Lutheranam, vel Calvinianam doctrinam profitentis Cathedram occuparunt? Si ostendere non possunt, claram est, eos carere successione Apostolica, quam in Ecclesia requirunt Sancti Patres. Sic Optatus Millev: Lib. contra Armenianum, probans apud Donatistas non esse Ecclesiam, ait: *Vestræ Cathedra originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Eodem argumento pafsim utuntur alii Patres. Clarum ergo est, vos non fuisse cautos, dum Lutherum, Calvinum, Servetum receperistis.

Luth. Nostri à populo, & Magistratu acceperunt Episcopatum, ab his sunt electi in Episcopos. *Cath.* Non quæritur hic de electione Episcopi, sed de ordinatione. Electio variè fiebat: Apostoli, & antiqui Pontifices Romani, sñè ullo consensu populi mittebant Episcopos: Ali-

quan-

quando populus cum Clero eligebat, ali-
quando Clerus solus. In Ungaria ad Re-
gem spectat ex Privilegio Romanæ Sedis
Episcopos nominare. At quomodo cun-
que electio fiebat, ordinatio non pertine-
bat ad populum, sed ad Episcopos. Dic
igitur, à quibus Episcopis Lutherus in E-
piscopum ordinatus sit?

Lutb. Episcopi Pontificii defecerant à
vera fide; ergo iis poterant suffici piii Mi-
nistri. *Cath.* Unde tibi constat eos defe-
cisse? quis eos hærefoes condemnavit?
Damnatis eos Lutherani, at Judices non
potestis esse in hac causa, cùm sitis accu-
fatores. Imò licet defecissent à fide, tan-
tum sequitur, quod veri alii Episcopi il-
lis potuerint suffici; vestri autem non
sunt veri Episcopi, quia non sunt ordi-
nati.

Cato. Quomodo Episcopus Transylva-
nensis, vel Varadinensis ostendet hanc
successionem? *Cath.* Ostendet facile: nam
ostendet successionem Ecclesiæ prin-
cipalis Episcoporum, scilicet Romanorū,
& satis est, si id ostendat; nam his se sub-
jectum agnoscit, ab his autoritatem ac-
cepit. Sic Irenæus, Augustinus, Optatus,
Epiphanius, Eusebius, non texebant suc-
cessionem suæ Ecclesiæ, sed Romanæ tan-
tum; satis enim illis videbatur ostendere
suc-

successionem in Ecclesia principali, cuius
ipſi membra ſe eſſe gaudebant.

Calv. In Ecclesia Constantinopolitana adhuc ſervatur ſucceſſio non interrupteda Epifcoporum; & tamen Ecclesia Constantinopolitana, juxta te, non eſt vera Eccleſia: Ergo ſucceſſio non eſt ſignum veræ Eccleſiæ. *Cath.* Ecclesia Constantinopolitana non eſt Apoſtolica, licet eam Nicēphorus conetur deducere ab Andree Apoſtolo: Veteres tamen id non tradunt, nec à Patribus unquam ſuit habita pro Apoſtolica; imò Patres Concilii Conſtantinopolitani primi in Ep. ad Damasum Pa-pam aperte fatentur: Eccleſiam eſſe no-vellam. Deinde, argumentum à ſucceſſione legitima adfertur præcipue ad probandum, ibi non eſſe veram Eccleſiam, ubi hæc ſucceſſio non eſt: Ex quo tamen juxta Bellarm. non colligimus neceſſariò, ibi veram eſſe Eccleſiam, ubi ſucceſſio eſt. Itaque adhuc argumento probatur, apud Lutheranos, Calvinistas, Unitarios non eſſe veram Eccleſiam. Quòd autem apud Græcos non fit vera Eccleſia, proba-mus alio modo: quia ſcilicet ſunt legitime convicti maniſteſti erroris de Schiſma-te, hærefi, in tribus plenariis Conciliis, Lateranensi, Lugdunensi, & Florentino; præcipue circa proceſſioneim Spiritus San-ti

di à solo Patre, quām esse claram hæresim etiam vos agnoscitis. Denique Ecclesiæ Græcæ Patriarchales habuerunt per longa tempora Episcopos manifestos Hæreticos, & proinde interrupta est veterum Patrum succelsio.

Iutb. Calo. Unit. Nostri à Christo missi sunt, ab eo authoritatem acceperunt. *Catb.* Proximè de eorum missione: nunc constat eos Apostolis non successisse.

DISCURSUS DECIMUS QUARTUS.

De Missione Lutheri, Calvinii,
Serveti.

Tleod. **D**icebas te discursorum de Missione Lutheri, Calvini, & Serveti; quid, quæso, de ea sentis? *Cath.* Sat quidem constare potest ex supra dictis, eos nullā legitimā authoritate missos esse, ac proinde non audiendos, vel saltem debere esse ad minus suspectos, ne sint lupi rapaces; cùm venerint à se: quæ ut pleniū capias, adhuc aliqua addam. Nota autem.

I. Neminem posse in Ecclesia prædicare, nisi legitima authoritate fuerit missus, juxta illud Apostoli: *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom, 10, 15. Alias

maxima nascetur in Ecclesia confusio; quivis enim officium prædicandi, & Ecclesiæ regendi sibi assumere posset, & quovis errores disseminare. Si enim in Rep. temporali, & politia humana nemo potest se intrudere, & Magistratum assumere ad regendum populum; quantò minus in Ecclesia, in Regno Christi spirituali potest quis sibi arrogare munus Pastoris, ad regendum populum in iis, quæ ad salutem æternam spectant; sed ab Ecclesiæ Supremo Rectore, Sacrorum Principe constitui debet; multò enim magis vitanda est confusio Regiminis in Ecclesia, quam in Rep. politica; cùm illa in perniciem cœdat animarum; hæc solùm in damnum fortunarum, & corporum.

II. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, Olatro,* ut ait Dominus Joan. 10. 1. At is, qui absque legitima missione, & autoritate sibi assunit officium Pastoris in Ecclesia, non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ut Patres passim exponunt, & per se conflat. Quid enim aliud est intrare per ostium, quam intrare legitimâ viâ, legitima autoritate? ostium enim est via ordinaria ad hoc instituta, ut per eam intretur in ovile; Unde designat illam autoritatem, per quam Ministri debent

bent admitti in ovile Christi, ad oves Christi regendas, & pascendas. Rursus Dominus ait apud Joann. 7. 18. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam querit; qui autem querit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est. Et iustitia in illo nō est.* Quibus verbis significat, non esse credendum iis, qui legitimè missi non sunt, sed à seipsis veniunt; quia gloriam propriam querunt, ac proinde non ad veritatem, sed ad honorem, & cōmodum proprium loquuntur, & doctrinam omnem eō dirigunt.

III. Apostolus ad Hebr. 5. 4. adeò necessariam hanc missionem judicat, ut etiam in Christo Domino eam requiratur; *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde Dominus toties inculcavit Judæis suam missionem, nimirum, quod à se non veniret, quod à Patre sit missus; idemque multis modis confirmavit. Ex his clare deducitur Lutherum, Calvinum, Servetum, & similes novos Doctores audiendos non esse, & eorum doctrinam vitandam, quia constat eos aliquā legitimā authoritate missos non esse; sed à seipsis venisse.

Constat, eos sibi Magistratum, & officium
Pastorum, & jus reformandi in Ecclesia u-
surpasse: Constat, non intrasse per osti-
um, & viâ legitimâ, sed aliunde ascendis-
se in ovile.

Theod. Dicent ad hoc: Lutherum, &
similes, non fuisse quidem missos modô
ordinariô, à Pontifice, vel à Pastoribus a-
liis Ecclesiarum; sed missos esse immedi-
atè à Christo, modô extraordinariô, uti
olim Prophetæ mittebantur à DEO ad re-
formandum populum; sicut missus Paulus
post ascensionem Domini, qui non ab ho-
minibus missus est, nec ab iis Evangelium
accepit, sed ab ipso Christo.

Cath. Dicent finè dubio, sed non satîs
est id dicere, & fortiter affirmare; sed o-
portet probare, & ostendere, ac convin-
cere esse verum, ne legitima causa popu-
lo, & Pastoribus ordinariis relinquatur e-
os rejiciendi, tanquam impostores: sicut
Prophetæ, & Apostoli, non tantùm se
missos esse dixerunt, sed etiam missionem
suam extraordinariam, aliunde, signis
nimirum Divinis, & miraculis demonstrâ-
runt.

II. Omnes Pseudo-Prophetæ, & hære-
siarchæ omnibus sæculis idem dicebant,
se nimirum missos à Deo esse, se suam au-
thoritatem à Deo accepisse. Vel ergo o-
mnes

mnes acceptandi sunt, vel nullus? cui enim potius credam missum Lutherum à Deo, quam Calvinum, Servetum, Arium? &c. cum Lutherus majora missionis suæ argumenta non proferat, quam Calvinus, Servetus, vel Arius.

III. Si Lutherus missus est à Deo; ergo Calvinus missus non est, & è contrario: quia hi duo contraria prophetant, & uterque alterius prophetiam, seu doctrinam erroris, & hæreseos damnat, uterque alterius Religionem destruit: quarè, si dicas utrumque missum à Deo, infero; ergo Spiritus Dei sibi ipsi adversatur, se ipsum pernegat, & evertit, destruens per hunc, quod per alterum ædificavit. Inter Prophetas autem à Deo missos, semper fuit summa doctrinæ consensio.

IV. Si Lutherus, vel Calvinus missus est ad reformatam Ecclesiam, quæro: quô tempore, quô locô DEUS illis hoc ministerium imposuit; quibus verbis, sive interiorius, sive exteriorius ad eos usus est; quomodo capita Reformationis eis declaravit; quem ordinem, & modum præscripsit; quomodo, quâve formâ iis apparuit, exterioriusne modô visibili, sicut Paulo; an interiorius per visionem imaginariam in extasi aliqua, sicut Prophetis, & Joanni Evangelistæ in Apocalypsi? Hæc

enim omnia Deus, cùm iis, quos mittebat,
observeare solitus est, & ipsi Prophetæ statim
initiō suæ prædicationis, hæc omnia ex-
plicabant, ut populus intelligeret, à quo
missi essent, quidve illis datum esset man-
dati, ut constat ex Isai. 1. 6. cap. & aliis.
Jer. 1. 2. 3. Ezech. 1. & sequ. Dan. 2. 9.
Denique omnes Prophetæ ista præmitte-
re consueverunt, ut in eorum Prophetiis
videre est. Similiter notum est, quod tem-
pore, quibus verbis Christus Dominus A-
postolos miserit, quidve illis injunxerit.
At verò Lutherus, Calvinus, Servetus, &
alii novi Prophetæ, tam parum considera-
ti fuere, ut non adverterint, simile quid
fingendum, si à Deo immediatè missi vo-
lebant videri. Unde nulla apud eos hu-
jus rei fit mentio, quod est certissimum si-
gnum, mentiri eos in eo, quod se dicant à
Deo missos. Cui enim dubium esse po-
test, si minimam hujus Divinæ missionis
speciem sensissent, id eos non fuisse in su-
is scriptis omissuros, sed statim mundo
patefacturos, expressò loco, tempore
modò, præceptò Domini, & cæteris huc
pertinentibus circumstantiis.

V. Quod si missi à Deo fuerunt, non
solum fuerunt missi ut Reformatores mo-
rum, sicut Prophetæ mittebantur; sed ut
Reformatores totius doctrinæ, & Religio-
nis;

nis; itaque maximè necessaria erat exacta totius missionis descriptio, & expressio capitum, quæ Deus reformari volebat, eaq; verbis ipsius Dei, ejusque nomine erat Ecclesiæ proponenda; sicut Prophetæ facere consueverunt, cum nomine DEI mandata Divina populo proponebant. At non ita procedebant hi novi Prophetæ; sed casu, & prout res ferebat, ex uno dogmate in aliud sunt devoluti, sicut in contentionibus, dum animi magis, magis que exacerbabantur, fieri solet: & sicut experientia discebant se rebus suis posse maximè commodare, & summi Pontificis authoritati, qua condemnabantur, incommodare: quod enim Pontificis rebus putabatur maximè obfuturum, id statuebatur dogma fidei, & nucleus Verbi Dei,

VI. In politia humana ad authoritatem regendi (utì superiùs discurrebamus) non satis est dicere, se esse à Principe, qui procul abest, nec facile conveniri potest, missum ad hoc, vel illud, sed patentes idoneas exhibere quis debet sigillō Principis munitas; quæ deinde diligenter examinantur, ne aliqua fraus subsit; & si aliquod indicium imposturæ deprehensum fuerit, non admittitur, donec plenam fidem faciat. Idem videmus in Legatis Principum, Nunciis Apostolicis, qui

omnes, suas patentes authenticas, quibus eorum commissio continetur, ostendere debent; alioquin non recipiuntur, nec habent authoritatem. Quæ ergo fatuitas est, in Ecclesia, & Regno Christi admittere novos, non solum Pastores, sed etiam Reformatores totius Religionis, eo solo nomine, & titulo, quod dicant se à Christo missos, se Spiritum Dei habere, nullis ostensis patentibus, nullis exhibitis signis, quibus id probent?

VII. Ipsa quoquè temporis ratio illis vehementer adversatur: si enim Ecclesia jam à tot sæculis planè concidit, & facta est synagoga Antichristi, ut ipsi docent, cur usque ad tam longa tempora dilata est horum Reformatorum missio? cur Deus solidis 9. sæculis in suis ruinis Ecclesiam, in superstitionibus, & idolatria, tanquam nihil ad se pertinens reliquit, & tantis temporum spatiis expletis, primùm ei hosce reformatores, vel novos architectos misit? Hiccine est amor Christi in suam Ecclesiam, quam sanguine suo lavit, quam spiritu suo vivificavit, quam sibi in sponsam adoptavit, cum qua se usque ad consummationem sæculorum futurum promisit? Longè benignius se gessit erga Ancillam, Synagogam inquam, ad quam tot Prophetas misit, quam in idolatriam,

am, vel impietatem inclinantem, usque ad excidium non deseruit, sed assidue missis servis suis revocare studuit. Itaque si volebant homines isti videri Reformatores, debebant fingere, Ecclesiam paulò ante concidisse, non verò tot sacerulis in suis ruinis computruisse; alioquin ipsum temporis intervallum eorum missionem confutat, & imprudenter confidentiam esse ostendit.

VIII. His accedunt alia signa, quæ vincunt eos non esse à Christo missos: ut prava, & impia vita, contemptus Sanctorum Patrum, superbia, errores, & mendacia, in quibus sunt deprehensi, inconstantia doctrinæ, &c.

IX. Docent ipsi, nihil esse credendum, quod in Scriptura non continetur. Oferunt ergo ex Scriptura, se à Deo ad reformatam Ecclesiam missos esse, quô locô, quibus verbis Scriptura dicat, hanc à Domino autoritatem Luthero, Calvino, Serveto esse concessam; aliàs vel ipsorum sententiâ, non possumus iis fidem adhibere, nec, ut Ecclesiæ Reformatores, admittere.

Theod. Satis est, clarè hæc ostendunt, missionem eorum omni prudenti suspiccam esse debere, inquit pro confusa tenendum esse. *Cath.* Finem ergo discursus

faciamus: proximè ostendam, quòd Ecclesiæ Romanæ doctrina consentiat cum veterum Patrum doctrina, in ea esse certam controversiarum decisionem, extra illam nullam doctrinæ soliditatem.

DISCURSUS DECIMUS QUINTUS.

Doctrina Ecclesiæ Romanæ congruit cum Apostolica: habet certam decisionem Controversiarum: extra hanc nulla doctrinæ soliditas.

Theod. **A**dfer, quod proximè promisi-
sti; ostende doctrinam Religi-
onis Romanæ convenire cum doctrina ve-
terum Patrum; veteres enim Patres, ut-
potè Apostolis vicinos, veram coluisse,
Religionem nullatenus dubito. Dic eti-
am de controversiarum fidei decisione.
Cath. Constat ex veterum Patrum Scriptis,
quòd nostra Religio prorsus conformis-
sit doctrinæ eorum. Quotquot enim an-
tiqui Patres scripserunt in Græcia, Asia,
Africa, Hyspania, Italia, Gallia, Germa-
nia, Anglia de mysteriis Religionis, o-
mnes consentiunt circa liberum arbitri-
um, merita bonorum operum, Sacrificium
Missæ pro vivis, & defunctis, circa vota
Monastica, Festa, Jejunia, Invocationem
San-

Sanctorum, & similia, quæ à novis Religionibus impugnantur.. Nec diffitentur Lutherani, Calvinistæ, vel Unitarii; sed dicunt istos esse nævos antiquorum, jam ad superstitionem, & humanas rationes inclinantum. Hinc ipsi ad Verbum Dei provocant, suo tamen sensu, non sensu communi Ecclesiæ intellectum.

Verùm quām hoc est improbatum; Veteres omnes sanctos Patres, doctrinâ, & miraculis orbi claros, tam diversis locis de iisdem rebus scribentes tanto consensu, potuisse errare. Consensus enim plurimorum (præsertim, qui antè inter se non communicarunt) in idem Dogma, est maximum signum veritatis, mentes Divinitus illustratas ad se trahentis, & in unitatem colligentis. Veritatis enim, cùm unica sit, est congregare in consensum; falsitatis, quia multiplex est, dissipare in varias sententias, & errores. Unde Hæretici diversis locis de eadem re scribentes, vix unquam consentiunt; sed in plurimas sententias distrahuntur: quia semel à veritate recesserunt.

Deinde nullum est dogma Catholicæ Religionis, de quo ostendi posset esse de novo introductum ab aliquo in Ecclesiam, quod est signum manifestum, illud semper in Ecclesia existisse, & ab Aposto-

lis descendere. Si enim de novo post Apostolos contra doctrinam Apostolicam esset introductum, ostendi posset, quod saeculô, qua ætate id factum esset, quod locô, & quod Authores quinam se huic dogmati novo opposuerint. Nullum enim novum dogma sine magna commotione, & conteradictione introduci potest. Sic enim de singulis hæresibus ostendere possumus, quod tempore, loco, & authore introducuntur sint; quinam se illis opposuerint, quas commotiones excitârint; denique à quo Pontifice, & concilio damnatae sint. Quod si de singulis hæresibus id ostendi potest, quanto magis ostendi posset de maximis Religionis Capitibus, si aliqua innovatio in illis esset facta? perspicuum igitur est, Religionem Romanam non solum successione, sed etiam doctrinâ cum antiqua Apostolica congruere. Quod autem novarum Religionum dogmata cum Veteribus non consentiant, fatentur ipsi met; unde & antiquos Patres superstitionis reprehendunt, & affirmant, eos ab errore excusari non posse.

Theod. Satîs de hoc: Dic jam de Controversiarum decisione, quæ oriuntur subinde in Ecclesia. *Cath.* Facile istæ expediuntur in Ecclesia Romana; habet enim illa infallibilem Controversiarum Judicem,

dicem, Sumum Pontificem cum Concilio, quo judice omnes controyersiæ hastenius facile decisiæ sunt; Omnes hæreses variis sæculis exortæ, sunt profligatae, & populus Catholicus in una fide, in una Religione, & doctrina per totum orbem conservatus. Hoc modò damnata est hæresis Ariana, per Concilium Nicænum, sub Sylvestro; Macedonina per Constantiopolitanum primum sub Damaso; Nestoriana per Ephesinum sub Cælestino; Eutychiana per Calcedonense sub Leone primo; Iconomachorum per Nicænum secundum sub Adriano primo; Berengariana de Eucharistia per Synodum Romanam, & Vercellensem sub Leone nono, per Turonensem sub Vistore secundo, per Romanam, sub Nicolao secundo, deniq; per aliam Romanam sub Gregorio VII, Alias hæreses brevitatis causâ omitti.

Theod. Cum magna capella proceditis in Controversiis fidei, Synodos, & Concilia ad eas decidendas congregando; cur non deciditis eas spiritu privato? *Catb.* Omnis ratio postulat, ut causa Ecclesiæ, cum sit communis toti Ecclesiæ, non judicetur à privatis, qui nullam in Ecclesia dignitatem obtinent, sed ab ipso universalis Ecclesiæ Pastore, una cum alijs particularibus præsidibus, quibus Ecclesiæ Re-

gimen est commissum, & ipsam Ecclesiam universalem, ut capita, uniti repræsentant. Sic Controversiæ de Legibus, & Priviligiis Regni, non ab alio, quām à Rege, & Regni Primo ribus, qui totum Regnum repræsentant, decidi solent, ac debent; ad quos enim pertinet regere aliquam communitatem, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, eorum est sōpire lites, & controversias circa materiam proprii regiminis incidentes decidere, omni imposturum contradictione sublatâ. Et sanè, nisi Ecclesia hanc autoritatem haberet, valde esset imperfecta, & mutilè instituta, ac miserabilior quovis regno temporali, quāvis Republ. politicâ; nullus enim unquam contentionum de fidei maximis capitibus esset finis, nullus dissensionum, & contradictionum terminus; & necessariò in mille sefas eam oporteret dividi, sicut hæreticorum conventiculis evenire videmus.

Theod. Vera sunt hæc omnia. *Cath.* Hinc fit, ut in Ecclesia Catholica omnia fidei capita sint certa, & definita, nullaque circa ea fiat variatio; & summus in illa sit omnium consensus. Ex quibus sequitur illud: Si Catholicam Religionem fecutus non fueris, nihil certi te habiturum, quo te conferas, quod credas, cui tutè salutem tuam possis comittere. *Theod.*

Theod. Cur non? *Cath.* Quam enim Religionem in tanta varietate amplecte-
ris? an Lutheranam? cur non Unitariam?
Calvinianam? vel Sabbatariam? cur Lu-
theranam cæteris præferes? cùm non mi-
nus Unitarii, Calviniani, Sabbatarii scri-
pturam sibi favere affirment, quām Luthe-
therani? Rursus si Lutheranam amplecti
velis; utram, quæso, eliges? mollem, an
rigidam? Puram illam, quam tradidit Lu-
therus, an eam, quam Philippus Melan-
chton interpolavit? sed & hæc multiplex
est; nam sæpius Confessio Augustana mu-
tata est. Si Calvinianam; cur non Lu-
theranam, cùm Lutherus sit omnium Pa-
rens, & primus orbi hanc Evangelii lu-
cem intulerit? Rursus si Calvinisticam:
utram tandem, an Puritanam, an Prote-
stantium? hæc enim non parum dissident.
Nulla subest ratio solida, certa, ut unam
ex his præferas cæteris: omnes enim æ-
què fortiter affirmant, verbum DEI à se
stare, se spiritum Dei habere, scripturæ
sensum pro sua doctrina esse perspicuum,
se purum Verbum Dei prædicare, Sacra-
menta legitimè administrare, contraria o-
mnia falsa esse, & Scripturis manifestè ad-
versari. Nec aliter id probant, quām
hoc esse manifestum, spiritum habenti.
Itaque omnes tandem doctrinæ suæ ratio-

nem adferunt, eodem fundamento nitantur : omnes ergo amplecti oportet, aut nullam.

Longè aliter Religio Catholica sua dogmata probat : nimis ex Scriptura secundum intellectum communem SS. Patrum, & Conciliorum exposita ; ex omnium saeculorum Doctoribus ; ex sanctitate, miraculis, spiritu Prophetico illorum, qui hanc Religionem coluerunt ; ex constantia, & uniformitate doctrinæ per totæ tates ; ex puritate, & innocentia vitæ, quam hæc doctrina inducit ; ex gentium ad hanc doctrinam conversione, &c.

DISCURSUS DECIMUS SEX TUS.

Novæ Religiones antiquarum hæresum errores colligunt : Credendi Regulâ carent.

Luth. **M**Endicum hodie observavi, mirabilis lacernâ teatum, quam ex meritis fragmentis antiquarum diversarum vestium confarcinavit. *Calv.* Observavi & ego illam ; credo in similes fragmenta illa collegit, & vestem sibi aptavit. *Cath.* Consideravi & ego vestem ejus, ac per omnia Religionibus vestris similem esse judicavi. *Luth.* Cautius ista, *Cath.*

Cath. Vestræ Religiones nónne sunt fragmenta antiquarum hæreſeon? nullum certè dogma tenetis Catholicæ Religioni contrarium, quod non ab aliqua antiqua hærefi mutuati effetis, quod non fuisse pridem à pristina Ecclesia damnatum, ac minoris habitum, quām antiquæ vefis rejectamentum ad finem projectum; id, quod vobis, boni viri, facile ostendo; nónne enim.

I. Tollitis arbitrii libertatem: at hæc fuit hærefis Simonis Magi, Valentini, Manichæorum, Vicleffii, ut testatur Clemens L. 3. Recognit. August. hærefi. 46. Hieron. in prolog. contra Pelag. Conc. Conſt. Seſſ. 3.

II. Docetis Deum esse impulsorem scelerum omnium, & omnia mala fieri vi Decreti Divini. Hæc fuit etiam hærefis Simonis Magi, & Florini, ut testatur Vinc. Lirin. & Eusebius L. 5. c. 20.

III. Non esse ad salutem necessaria bona opera, sed sufficere fidem. Hæc rurſus fuit hærefis Simonis Magi, & Eunomiani, teste Irenæo, L. 1. c. 20. August. hær. § 4.

IV. Habenti fidem nihil obesse peccata, quantumvis magna, & multa; horum enim malitiam non imputari credentis. Fuit hærefis Eunomianorum, & Basiliidis,

ac

ac Carpocratis, teste Irenæo, L. 1. c. 23.
& 24.

V. Calvinistæ negatis præsentiam Corpotis Christi in Eucharistia. Fuit hæc hæresis Berengarii, qui sententiam suam revocavit, damnatus in quinque Conciliis. Renovant hanc hæresim Lollardi, Vicleff. Zwinglius, Calvinus.

VI. Tollitis Traditiones, & omnia solis scripturis vultis contineri. Hæc hæresis fuit Arrianorum, Nestorii, Dioscori, & Eutichetis.

VII. Negatis Sacramentum Pœnitentiæ, & Confirmationis. Eandem hæresim olim docuerunt Novatiani, teste Cypriano, L. 4. Ep. 2. & Theodoreto, L. 3. de hæret. fabul.

VIII. Ecclesiam solis bonis constare, Ecclesiam olim visibilem, multis sæculis perivisse; hoc verò tempore tantum in suo cœtu existere. Similia docuerunt Donatistæ, teste S. August. Lib de Unit. Eccl. ca. 12.

IX. Non esse orandum pro defunctis, non esse servandum jejunium Quadragesimæ, aut alia statuta jejunia; sed cum cuique visum fuerit jejunandum. Idem olim docuerunt Aëriani, teste Epiphanio, hæresi 75. & August. Lib. de hæresib. cap. 33.

X. Negatis Venerationem Sacrarum Reliquiarum, imaginum Christi, & Sanctorum. Idem fecit Vigilantius, test Hieronymo: secere Iconomachi, teste Zonara, Cedreno, Nicephoro. Plura omitto, ex his enim claram est, dogmata vestra Religioni Romanæ contraria, esse fragmenta antiquarum damnatarum hæreseon: prinde Religionem vestram esse similem vestimentici male farta, quam mirati estis.

Neque mirandum, sic à vobis renovari, & colligi antiquarum hæresum errores: siquidem caretis certâ credendi Regulâ, ex qua statuere possitis, quid sit necessariò credendum. Exploditis Conciliorum Oecumenicorum autoritatem; similiter nihili facitis autoritatem SS. Patrum, nec admittitis traditiones Ecclesiæ, immo eas contemnitis. Non curatis mille Augustinos, mille Cyprianos; non admittitis iudicium eorum Ecclesiæ Doctorum, qui ante nostras præsentes lites extiterunt, & in Ecclesia floruerunt. *Luth.* Scriptura sacra est nobis Regula credendi, hæc enim errare non potest. *Cath.* Quod sola Scriptura non possit esse adæquata credendi Regula, facile ostendi potest, nam:

I. Per hanc credendi Regulam non possumus iudicare de ipsamet Scriptura, & ita ipsa Regula nobis incerta manebit, quæ

quæ tamen ante omnia debet esse certissima. Ex Scriptura enim sciri non potest, hunc librum esse verè Scripturam sacram, non esse suppositum, non esse confitum ab aliquo impostore; hanc, vel illam sententiam non esse perversam, non esse insertam; denique nihil esse additum, vel detractum, quod ad doctrinæ substantiam pertineat. Hoc totum ex Scriptura constare non potest, sed solum conjecturis quibusdam humanis parùm firmis probari, semotâ Ecclesiæ traditione; & sic totum fidei fundamentum, conjecturis incertis nitetur. Deinde Scripturæ vis non consistit in sono verborum, sed in sensu, qui est vita, & anima Scripturæ; at possunt esse mille controversiæ de sensu, quæ etiam ex Scriptura, semotâ Traditione, & Patrum expositione nō possunt decidi, uti experientia constat: nam de sensu illorum verborum: *hoc est corpus meum, & aliorum multorum, acerrimè disputatur apud Calvinistas, Lutheranos, Unitarios, & tamen Scriptura haec tenus nihil decidit.*

Cato. Judicium de Scripturis, & earum sensu pertinet ad spiritum internum.
Cath. Hoc nihil est aliud, quam dictamen spiritus interni, id est, judicium privatum cujusque, primam credendi Regulam constituere; quivis enim dicere potest, se spiri-

spiritum habere, & hujus inspiratione
 judicare, hanc partem esse Scripturam sa-
 cram, non illam; hunc esse Scripturæ sen-
 sum, non illum. Sic Lutherus ex suo spi-
 ritu judicabat Epistolam Jacobi esse fra-
 mineam, & Apocalypsim Joannis dubiæ
 authoritatis; Calvinista verò ex suo spi-
 ritu judicat, utrumque esse verbum DEI.
 Sic Lutherus ex suo spiritu judicat, abo-
 lendam esse opinionem, quod sint quatuor
 Evangelia. Nam *Evangelium Joannis*
 esse unicum pulchrum, verum, ac principale,
 aliisq; tribus longè, & longè anteponendis.
 Similiter & *Pauli Epistola*, ac *Petri*,
 longè precedunt, inquit, tria *Evangelia*,
Matthæi, *Marci*, & *Iucæ*. In Prol. Novi Test.
 Libenter illa rejicisset, quia aperte statu-
 unt meritum, & necessitatē bonorum ope-
 rum, & observationes mandatorum, & co-
 mendant castitatem, & paupertatem: sed
 cum non auderet prorsus rejicere, voluit
 autoritatem deprimere, ac insinuare,
 non esse spiritu Divino scripta. Pari mo-
 dō Calvinus ex suo sensu judicat illa ver-
 ba: *hoc est corpus meum*, hunc habere
 sensum; hic panis est figura corporis mei;
 Lutherus verò: hic panis est verè corpus
 meum; emitto alta innumera. Ex qui-
 bus patet, judicium privatum cuiusque
 constitui Regulam credendi; vel, quod i-
 dem

dem est, Scripturam ipsam secundum pri-
vatum cujusque judicium expositam.

II. Illa non est idonea Regula credendi,
quae contrariis dogmatibus æquè accom-
modatur; omnes autem Sectæ ætatis hujus
etsi inter se in plurimis, & maximis capi-
tibus dissideant, hanc sibi Regulam ada-
ptant, eamque suis placitis accommodant.
Lutherani enim dicunt se Scripturâ niti:
similiter Calvinistæ, haud aliter Unitarii,
&c. Neque mirum, quia singuli Scriptu-
ram accipiunt, non juxta communem sen-
sum Ecclesiæ, aut Patrum expositionem,
sicut Catholici; sed secundum privati spi-
ritus cujusq; sensum, quomodo facile o-
mnibus hæresibus accommodari potest.
Unde liquet, hanc Regulam sic acceptam
nullius esse momenti, & totum reduci ad
privatum cujusq; judicium.

III. Si esset aliquis Judex, qui ita ferret
sententiam in quavis lite, ut non possit
clarè constare, utri parti causam adjudi-
cārit, sed utraque pars contenderet eam
sibi adjudicatam, & sententiam Judicis
clarè à se stare; ille omnium judiciorum non
esset idoneus Judex: nam nulla lis pos-
set terminari per ejus sententiam: tanta
enim post sententiam esset controversia
de ipsa sententia, utri faveat, quanta fu-
erat antea de jure partium; atqui talis Ju-
dex

dex est Sacra Scriptura, seposita Ecclesiæ,
& Patrum expositione; semper enim ita
fert sententiam, ut non possit clare con-
flare utriusque parti, cuinam faveat, sed u-
traque pertinciter affirmat perspicuum
esse, sibi sententiam Judicis favere, pro
parte sua esse latam: hinc fit, ut nunquā
finiantur controversiæ. Ridiculum itaq;
est, solam Scripturam constituere Judi-
cem, talis enim in Controversia omni de-
bet constitui Judex, qui ita ferre sententi-
am possit, ut omnibus, & maximè utriusque
parti litiganti clare constet, cuinam fave-
at; aliàs nunquam controversia finiri po-
terit. Qui ergo solam Scripturam Judi-
cem faciunt, eò ipso apertè indicant, se
nullum Judicem, per quem causa posset
decidi, admittere, præter suum judicium
privatum.

Iutb. Salveat Domine Unitarie, gratu-
lor, quod compareat ad gravem quæstio-
nem, ubi tamdiu moras traxit Vesta Do-
minatio? *Unit.* Detinuit me casus ine-
ptus Martini, & Joannis, Consanguineo-
rum meorum, de quodam prædio litigan-
tium; audite, quæso, ineptiam eorum, &
ridete: uterque dum jus prædii præten-
dit, provocat ad volumen juris, quod
Ungari Tripartitum Regni vocamus; hoc,
& non aliò Judice causam volunt decidi.

Leyat

Levat vocem Martinus, citat Legem, quam sibi putat favere, ac voce stentorea clamat, per eam sibi causam manifestè à Tripartito esse adjudicatam; Joannes verò negat. Surgit Joannes, allegat alteram Legem, secundùm quam, utpote suo iudicio clarissimam, sibi à Tripartito vult prædiūm adjudicatum; Martinus verò negat: mirati sumus Virorum ineptiam, dum incessanter hæc repeterent, nec amplius rationis in medium adducerent, præter Leges Tripartiti, secundùm suum privatum judicium intellectas, ac conclusimus intrà nos, eos velle re ipsa causam hanc manere indecisam. *Theod.* Admiseruntne aliquem alium indifferentem Judicem, qui Leges explicuisset, vel combinasset? *Unit.* Neutiquam, sed præcisè volumen juris secundùm suum judicium intellectū volebant esse Judicem. *Theod.* Ineptum est hoc, & à ratione alienum; uterq; volebat pro parte sua esse Judex, non sic controversiæ deciduntur. *Cath.* Prorsus ad rem nostram facientem casum adfér. Sic prorsus proceditis in negotio Religionis Domini gratiosi. Litigatur magno cum strepitu, spectante, & mirante orbe, Christiano de veritate Religionis; Calvinistæ, Lutherani æquali jure dicitis, quisque Religionem propriam esse veram, a lienam

lienam à sua falsam, Judicem alium nullum vultis admittere, quām Scripturam sacram; unaquæque Religio pro se citat Scripturæ Textus, sed secundūm suum judicium intellectos. Dum Lutherana aliquos citat pro se, & clamat, à se stare Sacram Scripturam manifestè, negant id Calvinistæ, & Unitarii: Dum vicissim Calviniana, vel Unitaria, alios pro se allegat Textus, & pro se causam à Scriptura decisam esse gloriatur, reclamant aliæ Religiones. Unde vel hinc patet, Scripturam solam non posse esse adæquatam credendi Regulam, vel Controversiarum fidei Judicem. Experimini id magis intrà ipsos Religionum vestrarum Doctores, qui & ipsi intet se in magnis capitibus dissident, v. g. Calvinistæ (non adduco Remonstrantes, & Contra Remonstrantes) in articulo de capite Ecclesiæ, ubi potestatem hanc Protestantes tribuunt Principi sacerulari, et si mulier sit; Puritani verò id detestantur, & nefas, ac blasphemiam ducunt. Dissentient inter se, & aliarum Religionum Doctores, omnes allegant Scripturam secundūm spiritum suum intellectam, Controversiarum tamen finem non sortiuntur. Unde clarum est, Scripturam etiam Calvinistico, Lutheranico, vel Unitario spiritu intellectam, non posse esse Regulā credendi, uti prætendebatis. Theo.

Theod. Audivi dici s̄epiūs à Dominis Calvinistis, Lutheranis, Unitariis: se parum curare, quid docuerit Calvinus, Lutherus, vel Servetus; se solum adhærere Scripturæ, vel verbo Dei, in quo nullus error esse potest, & sic se esse securos. *Cath.* Sic dicunt omnino multi, præser-tim simpliciores: hinc est, quod apud illos ferè tot sint regulæ credendi, quot Religionis cultores; quisq; enim se con-stituit Regulam credendi, dum regulam credendi vult esse Scripturam, pro suo conceptu, & judicio intellectam. Ideo dum se putant Scripturam habere creden-di Regulam, habent locò Scripturæ pro-priam imaginationem; quod enim ima-ginantur significari verbis Scripturæ, pro vero sensu Scripturæ accipiunt, taliterq;, quot sunt hominum imaginations, tot sunt regulæ credendi.

Theod. Unde accedit, ut sua cuiq; ima-ginatio, pura veritas, & ipsissimus Scri-pturæ Textus videatur? *Cath.* Provenit partim ex immensa quadam philautia, & æstimatione sui ipsius; qui enim se magnifacit, facile sibi persuadet, omnes suas inventiones, & animi conceptiones esse præclaras; partim vero accedit ex Diabolica operatione, qui interius homi-num phantasiam pervertit, ut, quidquid appre-

apprehendunt, statim ob levissimam ratiunculam, perspicuam veritatem putent. Cùm enim homines tædiò Religionis antiquæ veritatem aversantur, & pruriunt auribus ad novitates, justò Dei judiciò sinnuntur decipi à Diabolo. Hic ergo, dum in sensibus eorum operatur interius, putant se Divinò spiritu illustrari, & omnes de fidei dogmatibus judicium ad hunc spiritum referunt. Hinc fit, ut cuilibet sedet, & ferè cuilibet homini privato, sua apprehensio purum putum Verbum DEI videatur, nec curat omnes rationes, quæ in contrarium adferuntur. Significat hoc Apostolus, dum ait: *Eòs quòd charitatēs veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendaciō*, 2. Thes. 2. 10. Mitteret non imperando, sed Diabolo vires laxando, ut eos, qui veritatem, seu antiquam Religionem contempserant, possit decipere, & in mille errores agere transversos.

Theod. Dicent, quòd illos Deus decipi non sinet, qui humili spiritu scrutantur veritatem; ipse eim promisit, se dat vrum spiritum bonum potentibus se: illi autem dicunt se id facere, Deum à se quotidie rogari, ut ab eo illuminentur, ut ab eo Scripturarum verum sensum accipiant:

qua de causa etiam Scripturas ipsas assidue scrutantur. *Cath.* Magna est hæc Diaboli illusio. Quomodo enim veritatem humili spiritu scrutantur, qui judicium Doctorum Ecclesiæ, Sanctorum Patrum, judicium Conciliorum Oecumenicorum contemnunt? qui viâ à Christo institutâ uti nolunt, sed revelationes non necessarias postulant? ab Ecclesia enim possent veritatem intelligere, & omni errore se liberare; sed nolunt se Ecclesiæ submittere, & putant, certius suâ industriâ, suô ingeniô, & spiritu ex Scripturis nudis se veritatem indagaturos. Quasiverò Sancti Patres Ecclesiæ, Concilia, ejus Doctores, & Præsides, aut Scripturas scrutati non fuerint, aut spiritu Dei, sanoque judiciô fuerint defituti, ut non potuerint eorum sensum assequi. Quæ major superbia cogitari potest, quam hominem privatum, & plerumque idiotam, omnis antiquitatis, omnis disciplinæ liberalis ignarum, se anteponere tantæ sapientiæ, tantæ autoritati, & sanctitati, tantæ Doctorum numerositati? Non igitur potent se, quamdiu hac mente sunt, aliquid à Deo imperaturos, quia malè petunt, superbè petunt; sed potius à spiritu superbiæ, & mendacii, cui justo Dei judiciô ob tantum crimen traduntur, decipiendos. Hic est spiri-

spiritus ille, quem omnes hæretici, et si in dogmatibus maximè contrarii, sentiunt, & jactant, & à quo veritatem sibi quisque revelari existimat. Quod certè, qui cœcus non est, advertere facile potest, quia Spiritus Dei contraria non revelat.

Accedit, quòd Scriptura Sacra, nunquam homines privatos in dubiis fidei, ad scrutandas scripturas remittat, sed ad Ecclesiam, & eos, qui in Ecclesia præsident. Sic Deut: 17. Remittuntur in ambiguis ad Sacerdotes, qui pro tempore præsunt, quibus, qui obedere noluerint, jubentur morte plecti. Ideo in Ecclesia posuit Deus Pastores, & Doctores, ideo voluit illam toti mundo esse conspicuam, columnam, & firmamentum veritatis; ut omnes eam facile consulere possint, & in ejus sententia securissimè quiescere. Non omnibus datur spiritus intelligendi scripturas, ut ex Apostolo constat, 1. Cor. 12. Non omni spiritui credendum, sed probandi spiritus, si ex Deo sunt. Itaque, et si spiritus aliquid suggerat, nondum est quis securus, non enim certus est, illum à DEO esse: constat enim innumerabiles esse deceptos; nam omnes hæretici hunc spiritum jactant. Transfigurat se frequente Angelus Sathanæ in Angelum lucis, 2. Cor. rint. 11. Plura de hoc spiritu privato vi-

dere potes in Opusculo de vera, & falsa
fidei Regula ; ex adductis autem suffici-
enter constat, spiritum privatum creden-
di Regulam esse non posse.

DISCURSUS DECIMUS SEPTIMUS.

Non Christi, sed Sathanæ Ecclesia
utitur ad sui propagationem, & propa-
gnationem, dolô malô, fraudibus,
& mendacijs.

Theod. Plurima ad nauseam mihi retu-
lerunt de Religione Romana
Domini Lutherani, Calvinistæ, & Unitarii;
quæ si vera sunt, meritò eam quis horre-
re debet. *Cath.* Placet mihi candor tu-
us; dic, quæso, quid contra eam dixerunt.
Theod. Sequentia.

I. Quòd adoretis mortuos, quos san-
ctos vocatis, eorum statuas, imagines, si-
c ut Ethnici sua idola.

II. Quòd adoretis panem, & vinum.

III. Quòd fiduciam non ponatis in
Christi meritis, sed in meritis vestris, &
Sanctis.

IV. Quòd fidem in Christum nihil fa-
ciatis, sed totam spem in meritis vestris
ponatis.

V. Aliis prætermissis, intellexi tur-
pem,

pem, & abominandam vitam vestrorum Sacerdotum, Religiosorum, Antistitum, quos audio esse meros hypocritas, talibus sceleribus plenos, quæ rubor in medium adferre vetat. *Cath.* Iteratò dico, quòd mihi placeat candor tuus: at, hæc ipsa eorum relatio debet tibi esse calcar, & stimulus ad amplectendam Religionem Romanam, Religiones eorum spernere debes vel hoc titulò. *Theod.* Quomodo hoc infers? *Cath.* Ea Religio tanquam falsa spernenda est, cujus authores, & propugnatores, utuntur dolò malo, fraudibus, & mendaciis ad eam propugnandam. Vera siquidem Religio talibus subsidii non eget; falsa autem, cùm veris, & solidis rationibus sit desituta, spem suam in mendacio ponit. Illa autem omnia, quæ tibi suggererunt pulchri illi Reformati, & Evangelici, mera sunt mendacia, & commenta: Plura alia de nobis dicunt. Sic Galv. L. 4. Instit. cap. 7. §. 27. *Pontificiam doctrinam esse, nullum esse Deum: quæ de Christo scripta sunt, & docentur, esse mendacia, & imposturas; doctrinam de futura vita, & resurrectione esse meras fabulas, & similia plurima.*

Primò enim commentum est, & mendacium, nos adorare Sanctos, vel eorum statuas, uti Ethnici sua idola. Ethnici co-

lunt idola sua cultu soli Deo debitō; sic colunt idola, ut cultus ille, & honor sit in idolo, cui divinitatem inesse putant, nec honorem idolo exhibitum ultra referunt. Nos autem non sic Sanctorum colimus imagines, vel statuas, quas scimus constare ex tela, & coloribus, vel ex faxis, & truncis esse efformatas? nec illis aliquid divinitatis, vel excellentiæ inesse judicamus. Colimus ergo has ea ratione, ut cultus, & honor imaginibus exhibitus transeat ad prototypum, seu ad Sanctos cum Christo regnantes; nam illa externa venerationis nota, quæ fit coram imagine, est veneratio prototypi. Sicut erigere statuam Regi, vel illi statuæ honorem deferre, coram ea pileum deponendo, non est honor statuæ, (nisi materialiter) sed est honor Regis ipsius. Item, dum Scutum gentilitium tui Parentis, Aquilam, v. g. vel Leonem honoras, illud in conclavi tuo appendendo, non honoras Aquilam, vel Leonem, sed tuum Parentem.

Quòd autem honor iste, qui Sanctis defertur, non sit cultus Latræ soli Deo proprius, etiam clarum est: quia non colimus aliquem Sanctum, ut supremum Dominum, & Authorem rerum; sed solum ut amicum supremi Domini: tanti enim faci-

facimus Deum, ut etiam eos, quos ipse sublimes fecit, dignos aliquo honore judicemus: quod sanè non in injuriam, sed in honorem Dei cædit; sicut in honorem Regis cædit, quòd Aulici ejus honorentur propter respectum, quem habent ad Regem, nimirum quia sunt ejus domestici, ejus Ministri, & Amici. Vides ergo, quantam nobis faciant injuriam, dum plebi simplici persyadent nos esse idololatras.

II. Mala fide dicunt etiam, nos panem, & vinum adorare. Sciunt enim nos credere, non remanere panem, & vinum in Eucharistia, sed esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sangvinem Christi, unà cum anima, & Divinitate, ac totum panem, & vinum desinere, manentibus solis panis, & vini speciebus: & sic nos non velle adorare panem, & vinum, sed Christum ibi præsentem.

III. Dum dicunt: nos fiduciam non ponere in meritis Christi, sed in meritis nostris, & Sanctis, quòd fidem in Christum nihil faciamus, & similia plurima, dum nobis appingunt; mera sunt commenta, mendacia, & imposturæ, ad infamandam doctrinam Catholicam excogitatæ.

Ad quintum dico: Si quis, sive Regularis, sive alius in Romana Religione malus

est, non Religione svadente; sed sua voluntate malus, & sceleratus est, nec persuam malam vitam derogat bonitati Religionis, cui est injuriosus. Cæterum multa crimina falsò imponunt, consinguntque, præsertim contra eos, quos putant suis successibus obesse, Libellos evulgant, quibus sceleratissima facta, turpissimaque viris ab ejusmodi sceleribus alienissimis impinguntur, detectâ verò calumniarum impudentiâ in commendationem calumniam passorum, & detestationem calumniantium similia cædunt. Non nego in Religione Romana in omni statu quosdam vocatione sua dignè non ambulare, Christi enim Ecclesia ager est, in quo etiam zizania crescunt: Sagena est, quæ præter pisces bonos etiam malos comprehendit: Regnum est, in quo etiam fatuæ Virgines reperiuntur: At tam parùm hi faciunt, deteriorem Christi Ecclesiæ doctrinam, quam parùm derogavit Judas sanctitati Collegii Christi. Si vel unus Regularis, aut Ecclesiasticus contra puritatem ex fragilitate humana labi notetur, totus status, tota Religio talis esse proclamatur, præsertim à Pastoribus adversarum Religionum: quis verò hic modus, quæ ratio? non ego adduco fordes illorum. illud dico: si Pastores Religionum novarū adstrin-

adstringerentur ad continentiam perpetuam, prout in nostra Religione Sacerdotes, & Religiosi se adstringunt, vacuae essent cathedrae eorum, silerent pulpita, cesseret apud eos omnis cura Pastoralis. Sed non tantum dogmata falsa, & criminata falsa nobis imponendo suas nituntur promovere Religiones, verum etiam ipsa sacra Scriptura, & testimoniiis Patrum dolosè abutuntur ad eas confirmandas, addendo nimis iis aliquid, vel detrahendo, vel immutando, vel omissis sententiis perspicuis proferendo quasdam obscuras, ut illorum doctrinæ videantur favere. Audi, qualiter procedant in exponendis sacris Scripturis.

I. Vocibus Scripturæ tribuunt, & confingunt significations inauditas, & infolitas. Sic dum Joann. 3. 5. Christus dicit necessarium baptismum aquæ ad cœlum obtinendum, Galvinus ne videatur Christo contrarius, docens baptismum aquæ non esse ad salutem necessarium, vult per aquam intelligi Spiritum. Lib. 4. Instit. c. 16. §. 25. Aquam ergo, & Spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui aqua est. Sic in oratione Dominica per quotidianum panem volunt intelligi uxorem, vestes, liberos, servos, &c. quasi Christus Discipulos, qui uxores, & omnia externa bona

deseruerunt, docuisset, ut hæc à Deo repetant.

II. Verba Scripturæ clara nolunt accipi in significatione propria, sed in aliena, & figuratè. Sic Galvinus in c. 3. Matth. *De igne aeterno*, quòd torquendi sunt impii, scio à multis fuisse disputatum, at qui colligere licet metaphoricam esse locutionem. *De verbis*, hoc est corpus meum; L. 4. Inst. c. 17. §. 21. *Dico metonymicum esse sermonem*.

III. Si Metaphoræ non satis feryiant, dicunt verba Scripturæ accipienda esse in sensu Ironico: Taliter volunt accipi illa: *Date eleemosynam, Ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. 41.

IV. Si nec Ironia suffragetur, volunt Scripturam accipi hyperbolice. Taliter Galvinus dicit de Christo saepius, quòd loquatur hyperbolice.

V. Saeppe dicunt, quòd Christus, & Apotholi non ex propria sententia sint loquuti, non id loquuti sint, quod ipsi pro vero judicarunt; sed sermonem suum accommodarunt falsæ aliorum opinioni, vel loquuti sint per contentionem. Sic inter reliqua, Jacobi textum 2. 14. *Quid prodierit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; numquid poterit fides salvare eum?*

VI. Per verba Scripturæ clara non voleant intelligi id, quod propriè significant, sed quod impropriè. Sic impropiam dici volunt locutionem, dum Christus mercedem Jejuniis promittit.

VII. Dum verba Scripturæ adeò clara sunt, ut ea ad se detorquere aliter non possint, dicunt verba Scripturæ esse vera eoram hominibus, non vero coram Deo. Sic exponunt Jacobi 2. 24. *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Sic & illud: *Charitas operat multitudinem peccatorum.* Calv. L. 3. Instit. c. 4. §. 36. vult intelligi apud homines, non apud Deum.

VIII. Quod Scriptura dicit absolutè, si advertant contra se esse, addunt particulam *Si*, ut faciat sensum conditionatum. Sic Rom. 2. 27. dum dicitur: & *judicabit id, quod ex natura est, præputium Legem consummans, &c.* non placuit Calvino, ut quis dicatur Legem implere; ideo addit verbis particulam *Si*, & dicit: *præputium si Legem servet.*

IX. Si aliter accomodate sibi Scripturam non possunt, ei, uti dixi, aliquid addunt, deinunt, mutant verba.

X. Dicunt item, has, vel illas voces non pertinere ad Sacram Scripturam. Sic Calv. in Matth. 20. 16. de verbis Christi:

*multi vocati, pauci electi dicit: hæc verba
ab alio addita Christi verbis.*

XI. Advertentes à Deo Legislatoribus promitti iustitiam, & vitam æternam: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: hoc fac, & vives. Reddet unicuique secundum opera. Factores Legis justificabuntur.* Matt. 19. 17. Luc. 18. Dicunt has promissiones esse sub conditione impossibili. *juvenem de operum iustitia querentem docere oportuit, neminem coram Deo censeri justum, nisi qui Legi satisfecerit, quod est impossibile.* Calv. in Matth. 19. *Promissio Legalis, adjecta conditione impossibili nihil probat.* Calv. L. 3. c. 17, §. 7. Quod si sic est, verba Christi non sunt promissiones, sed jocus, & illusio; perinde alicui ac si sponderes, te eum docturum modum Cœlum intrandi, eique suggereres, ut capiat duas perticas, quæ cœlum attingant, & ex iis sibi scalas firmas fabricet.

XII. Cùm Scriptura de Zacharia dicit Luc. 1. 6. quòd fuerit justus ante DEUM, incedens in omnibus mandatis, & justificationibus Domini. Advertens Calvinus hinc sequi, non tantum non esse omnia opera hominis peccata, sed & Legem esse implebilem, scribit, à Scriptura non dici, qualia fuerint opera Zachariæ, sed qualia debuerint esse. Cùm Zachariam refert ambu-

*ambulasse in iustitiis Domini, & operibus
Sanctorum, iustitiae nomen habuit: opera
magis ex Legis natura estimat, quam pro-
priâ eorum conditione. Calv. Lib. 3. cap.
17. §. 7.*

Vides, qualiter Scripturâ utantur: hoc certè modo quamlibet fœdissimam hære-
sim posset quivis ex Scriptura defendere,
& omnia argumenta eludere. Facilè enim
dicet, voces aliud significare, accipiendas
in sensu Ironico, Metaphorico, Hyperbo-
lico, Apostolos, vel Christum non ex pro-
pria, sed aliorum sententia loqui, verba
esse ab alio addita, &c.

Audiamus jam Lutherum, ac videamus
Sacram Scripturam versantem: ut is sta-
biliat suam sententiam de justificatione,
per solam fidem, in textu Pauli ad Rom. 3.
arbitramur hominem justificari per fidem,
addidit *solam*: cùmque rogaretur, cur id
fecisset? respondit: Si quis Papista moro-
sum, & difficilem se præbere velit de vo-
ce sola, statim dic ei: *Papista, & asinus ea-
dem res est: sic volo, sic jubeo, stat pro ratio-
ne voluntas, &c.* juxta illud nimirum ⁹,
quod Tom. 3. Wittemb. fol. 171. ait: *haec
tibi norma, & regula esto, quam in Scriptu-
ris Sacris intelligendis sequaris: ubicunque
jubet Scriptura bona opera facere, tu sic in-
tellige, quod Scriptura prohibeat bona opera
facere.*

Idem Lutherus 2. Petr. 1. vertens illam sententiam: quapropter fratres magis satagit, ut per bona opera certam vestram vocacionem faciatis; omisit verba illa bona opera, quia doctrinæ suæ obstant. Pfal. 75. 12. *Vovete, & reddite Dño Deo vestro.* Lutherus in margine apponit glossam: quod pro Deo vestro illum habere velitis, quemadmodum requirit primum preceptum, & nolite vovere sanctis, vel alia vota. In quo triplicem fraudem commisit.

Prov. 31. *Mulierem fortem quis inventiet?* Rhytmum amatorium germanice apponit ad marginem hoc sensu: nihil amabilius in terra amore mulierum, cui is obtinere potest.

1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* Lutherus de suo addit *in Uxorem*, quasi Apostoli circumduxissent uxores, idque ad opus conjugale. Alia omitto, ex his sufficienter intelligere potes, qualiter trahent ipsas Scripturas Sacras.

Argumenta Patrum, & Doctorum nostrorum similiter corrumpunt, addendo, mutilando; quædam, quæ ab eis afferuntur, ut postea solvantur (quod Doctoribus Scholasticis in usu est) ac si ex propria illorum sententia dicta essent, producunt. Præterea omissis locis claris, ubi

ubi Scripturæ, & Patres apertè, & de industria rem explicant, mentemque suam aperiunt, captant locos obscuros, ubi obiter, & diversum quid tractantes, rem attingunt. Quô modô plurima testimonia adferuntur, contra diversa fidei dogmata; nihil enim est adeò perspicuum in fide nostra, quod non locis aliquibus obscuris Scripturæ, vel Patrum, in speciem oppugnari possit; nihil adeò absurdum, quod non defendi valeat. Quid absurdius dici potest, quam Corpus Christi esse ubiquique, sicut & Divinitas? vel Deum esse omnium malorum Authorem? vel hominem non esse liberi arbitrii? hæc tamen omnia locis obscuris Scripturæ, & Patrum, stabilire hæretici nituntur. Si veritas quæritur, cur omittis locis claris consugiunt ad obscura; & in his explicandis non acquiescunt judicîo Patrum, & veterum Doctorum, qui ante nostra tempora extiterunt, sed suo duntaxat sensu nisi volunt? Cùm aliqua Patrum obscura dicta in speciem favent, ea sedulò producunt, & suam doctrinam Patrum authoritate munire nituntur: Cùm vero nos contra ex Patribus adferimus, quæ illorum doctrinam clare evertunt; respondent: Patres fuisse homines errori obnoxios, se vero nisi verbo Dei.

ad-

adsunt, qui te nitebantur avertere à Religione Romana, discursum non abrum-pam, nec repetam, sed continuabo. Salvete boni Viri! *Luth.* Tū quoque salve! *Cath.* Quæso, auscultate me continuantem discursum, & respondete ad quædam: Sancti Patres utrūm nitebantur Verbo Dei? *Luth.* Niti volehant verbo DEI, sed sensum ejus non sunt assicuti; proinde sunt decepti. *Cath.* Unde scitis deceptos esse Patres, nec assicutos sensum Verbi DEI; vos verò assicutos? *Calv.* Evidens id est Verbo DEI. *Cath.* Quomodo id evidens est, cùm tam diversæ sint interpretationes, & omnes Patres aliter interpretantur, quām vos: & inter vos aliter Calvinistæ, quām Lutherani, vel Unitarii; aliter unus Calvinista Doctor, aliter aliis? *Calv.* Evidens est habenti spiritum, aliis non est evidens. *Cath.* Sed nōnne sic respondent etiam Lutherani? nōnne sic etiam alii? inter vos taliter Protestantes, Puritani, &c. etiam quoad articulos graves, circa quos dissident? ultimum ergo judicium de singulis dogmatibus in spiritum privatum reducitis?

Dicitis ergo Domini Calvinistæ, omnes Patres, omnes Ecclesiæ Doctores, omnia Concilia Oecumenica caruisse spiritu intelligendi Scripturas; eodem carere Lu-

thera-

theranos, Unitarios, &c, sed hunc vobis
solis esse concessum Divinitus, ideoque
vobis manifestum esse, quidquid docetis,
esse purum putum Verbum DEI. Idem
dicunt Lutherani de Conciliis, Patribus, &
Doctoribus Catholicis, & de Calvinistis,
ac Unitariis, nimirum eos carere spiritu;
sibi vero solis hunc datum: & idcirco si-
hi manifestum esse, suam doctrinam esse
Verbo Dei consentaneam. Denique,
quaevis alia secta hunc spiritum sibi attri-
buit tanquam proprium, ac aliis Religio-
nibus negat,

Verum quam haec sunt irda, & ab
omni ratione aliena. Quod incredibile
est omnes Doctores Catholicos, Sanctos
Patres omnes caruisse spiritu intelli-
gendi Scripturas, & hunc Spiritum solis:
Calvinistis datum, vel solis Lutheranis,
aut Unitariis? Quam vanum, & frivo-
lum est, ut quaevae secta hunc spiritum
solis suis Cultoribus proprium afferat.
nec id aliter probat, quam id esse mani-
festum habenti spiritum, & eum, cui id
manifestum non sit, non habere spiritum?
Nonne hoc est ambulare in circulo vitio-
so, & principium petere, & omnem con-
troversiam in id, quod maximè obscurum
est, & nemini alteri constare potest, resol-
vere? Unde enim sciam, te habere spiri-
tum?

tum? Quando unquam SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ sic probârunt sua dogmata?

Omnis probatio debet fieri per id, quod adversario manifestius est, & facilius ab eo conceditur; at illa probatio, super qua omnia vestra dogmata sunt fundata, procedit ab eo, quod est maximè obscurum, & solô nititur testimonio, quod de vobis ipsis perhibetis; at, qui de se ipso testimonium perhibet, *testimonium ejus non est verum*, juxta Joann. §. hoc est, non est pro vero habendum, nisi aliis modis probetur. At vos Domini Calvinistæ aliis modis probare non potestis, vos hunc spiritum habere, sed vultis vobis credi ad nudam vestram assertionem, qua dicitis id vos certò scire. Itaque nulla ratio est, cur sit vobis fides adhibenda; immo maxima ratio est, cur sit omnibus fides abroganda: Spiritus enim DEI sibi contrarius non est; vos vero, qui vobis hunc spiritum arrogatis, inter vos contrarii es.

Theod. Querebantur etiam graviter contra vos Romanos, quod eorum tempora occupetis. *Catb.* Quære, quæso, ab eis, quotnam illi in Transylvania v. g. Tempa erexerint? si tantum in erectis à se habuerint suæ Religionis exercitium, pauci profecto eorum Ministri dicent ex Cathe-

Cathedra. Illi omnino occuparunt nostras augustas Basilicas, ampla Menasteria, templo innumera. Quorum aliquod ab eis ruinatum, cuius nullum habent usum, hærens in fordibus, & squallore; si Divino à nobis cultui restituatur, magnos ad id sumptus impendendo, clamant injuriam fieri suis Religionibus, jura sua lædi queruntur, Aularum, & Principum aures onerant; optaréque videntur, ut ædes Deo dicatae potius pecoribus aditum præbeant, funditus pereant, quām Catholicis pateant. Alii non pauci clarè fatentur, malle se audire occini Turcicum Alla, quām Catholicum Alleluja.

Theod. Satis est, agnosco veram esse, ac à DEO fundatam Religionem Romanam, hanc amplector, & promitto omnipotenti Deo, me usq; ad finem vitæ in ea constanter mansurum. Superest, ut me ducas ad Pastores Ecclesiæ tuæ, qui me Sacramentorum faciant participem,

DISCURSUS DECIMUS OCTAVUS,

Religiones novas esse contrarias doctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ, paucis ostenditur.

Luth. Egi his diebus Cardinalis Petri Paz-

Pazmanni volumen de Controversiis Fidei. Deus bone! quæ, & quanta contra Lutherum, & Calvinum citat ex eorum scriptis, v. g. quod Lutherus fateatur inverecundè se habuisse familiarem, & assiduum ex Orco convictorem, cum quo plus uno modio salis comedenter, cui plus quam suæ Catharinæ condormiverit, eum sibi Authorem fuisse, ut Missam abroget, hunc argumenta suppeditasse. Quod uterque indignè de Christo, de Dei Providentia sentiant, &c. *Calv.* Legi etiam ego similia in Pontificiorum Authoribus. *Cathb.* Authores nostri falsè similia non citant; volvite proinde Lutheri, & Calvini Libros, invenietis sententias citatas, quas si bene perpendatis, recognoscetis Authores Religionum vestiarum dignos esse reprehensione. Possem & ego plurima ab iis absurdè dicta in medium proferre; sed cum legeritis Authores nostros, ad eos vos relego. *Luth.* Omnis doctrina Lutheri est consentanea manifestè verbo Dei. *Calv.* Doctrina Calvini est omnimodè conformis Sacrae Scripturæ. *Cathb.* Doctrina utriusque, in quantum Religioni Romanæ contraria, manifestè repugnat Scripturæ Sacrae, & Verbo DEI: pauca adducam in exemplum, ex quibus de reliquis ipsamet judicium feretis.

Primo quidem docet uterque, ob nullum peccatum posse hominem damnari, nisi ob infidelitatem. Luth. Lib. de capt. Babyl. tit. de bapt. ait: *Vides, quām dives sit homo Christianus, sive baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem, nisi nolit credere; nulla enim peccata possunt illum damnare, nisi incredulitas.* Unde ad Melanchtonem Epist. 238. scribit: *Esto peccator, & pecca fortiter, &c. sufficit enim, quod agnoscimus per divitias gloriae Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi, ab hoc enim nos non aevillit peccatum, etiam si mille uno die fornicemur, aut occidamus.* Alibi haec habet: *Pecca sine discrimine auctor, sed eò fortius crede, & exulta in Christo, qui vicit oris mortis, & peccati. Ab eo nos peccatum non separabit, quamvis per diem mille, & rursus milena homicidia, & adulteria committeremus.* Ita Luth. apud D. Joannem Schefflerum in sua Ecclesiologia tract. 14. dicta: *Predicanten Beruff / id est: Prædicantum vocatio.* Alia plurima omitto. Calvinus similiter Lib. 3. Instit. c. 4. §. 28. ait: *Peccata fidelium non imputari ad mortem, & condemnationem. Ceterum peccata fidelium venialia esse, non quid non mortem mereantur, sed quia DEI misericordia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, quia non imputantur, quia veniam delentur.*

Do-

Doctrina hæc quām sit contraria toti
 novo Testamento, imprimis ex pauculis,
 quæ adducam clarebit. Paul. ad Gal. 5. 16.
 ait: *Spiritu ambulate, & desideria carnis*
non perficietis. Manifesta sunt autem opera
carnis, quæ sunt: fornicatio, immunditia,
impudicitia (enumerat alia plura, diversa
à peccato infidelitatis) quæ prædico vobis,
sicut prædicti: quoniam qui talia agunt, Re-
gnum Dei non consequentur: adeoque igne
æterno damnabuntur. Ad Eph. 5. 3. For-
niciatio autem, & immunditia, &c. nec no-
minetur in vobis, sicut deserit Sanctos. Et
mox: Hoc enim scitote intelligentes, quod
omnis fornicator, aut immundus, aut avar-
rus, non habebit hereditatem in Regno Dei.
 Subdit denique: *Nemo vos subducat ina-*
*nibus verbis (dicendo hæc peccata non es-
 se, vel non imputari fidem habenti) pro-*
ppter hac enim venit ira DEI in filios diffi-
dentiae. 1. Cor. 6. 9. Nolite errare, neque
fornicorii, neque molles, neque masculorum
concupitores, &c. Regnum Dei possidebunt.
 Et hæc quidem suītis (dum viveretis in
 Gentilismo) sed abluti esis, sed sanctificate
 esis. Atque adeo jam (quod subintelligi
 debet) aliter vos instituente Christiana Le-
 ge, non amplius tales esis. Quò pertinet
 illud, quod idem Apostolus ad Eph. 4. 17.
 ait: *Hoc igitur dico, & testificor in Domi-*

no, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, &c. qui desperantes semetipos trahiderunt impudicitiae, &c. Vos autem non ita didicistis Christum.

Sed & Christi Domini sententia in reprobos ferenda indicat, dari præter infidelitatem alia peccata, ob quæ reprobi damnabuntur. Rectè observat S. August. L. de fide, & operibus c. 15. Non increpat, nec damnat illos, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt, qui in Christum crediderunt. Ex quo rectè infert S. Doctor: Si illi, qui opera misericordiae non fecerunt, ibunt in ignem aeternum, multò magis ituros illos, qui aliena rapuerunt, aut aliò quovis atrociori scelere suam maculârunt conscientiam. Quid enim, si quis è Lutheranis, vel Calvinistis, fidelis quidem, ut ipsi putant, Deum ipsum odiò habeat, aut in Christum contumeliam faciat, aut Parentes, Patriam, Regem disperdere cupiat, numquid poterit fides salvare eum? quid igitur ad hæc dicetis? fors juxta doctrinam Lutheri, & Calvini hæc in sensu Ironico, vel contario accipienda voletis? quasi damnentur reprobi, quod opera fecerint, electi salventur, quod opera neglexerint, atque in hunc modum fit exponenda Christi Judicis sententia: Venite benedicti, percipite Regnum; esurivi enim,

nim, & non dedistis mihi manducare; ite
maledicti in ignem aeternum, esurivi enim,
& dedistis mihi manducare. Quod quidem
vel cogitatu ineptum est, taceo blasphemum,
quamvis a mente Lutheri non alienum,
cum is docere ausus sit, opera bona
non conducere, sed perniciosa esse, eaque
de causa Serm. de novo Testamento, sive
de Missa ausus sit dicere: amplius caven-
dum esse ab operibus bonis, & Legibus, quam
a peccatis. Tom. I. Ep. Jac.

Repetamus & supra allatas Lutheri exhortationes, (Peccafortiter, &c. sufficit enim, quod agnovimus per divitias gloriae Dei Agnum, &c. ab hoc nos non avellit peccatum, etiam si millies uno die fornicemur, aut occidamus. Pecca sine discrimine audacter; sed eò fortius crede, & exulta in Christo, &c. Ab eo nos peccatum non separabit, quamois per diem mille, & rursus millena homicidia, & adulteria committeremus.) videamusq; amplius, qualiter ejus doctrina diffideat ab Apostolorum, & Christi Salvatoris doctrina.

Clamantem primò audiamus Paulum ad Eph. 5. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hereditatem in Regno Christi. Reclamat Lutherus, suumque Melanchtonem, ac in eo alios hortatur, ut
forti-

fortiter peccent, ex eo, quod à Christo eos non avellet peccatum, etiam si millies uno die fornicentur, aut occidant.

Colossenses adhortatur Paulus, ut ambulent dignè Deo per omnia placentes, *in omni opere bono fructificantes*, 1. 10. Reclamat Lutherus, & hortatur, ut caveant quidem à peccatis, sed maximè à bonis operibus.

Hortatur Paulus Rom. 6. 19. *Sicut exhibuisti (in Gentilismo) membra vestra servire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.* At contrarium svadet Lutherus, docens: *Quis quis sceleratior est, huic Deum citius infundere gratiam suam.* Serm. de piscatura Petri, Paulus Romanis svadet 13. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum, nimirum ejus opera, & vitam imitantes, eumque hoc modo repræsentantes.* Idem inculcat, multis aliis locis. *Imitatores mei esote, sicut & ego Christi*, 1. Corinth. 4. 16. id est: imitamini me, quia me imitando, Christum, quem imitor, imitabimini. Clamat & Petrus Ep. 1. c. 2. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Clamat Joan. Ep. 1. c. 2. 6. *Qui dicit se in ipso manere, debet, si-
cūt ille ambulavit, & ipse ambulare.* Deni-

que ipse Salvator, qui est via, veritas, & vita, inculcat nobis Matt. 16. 24. Qui vult venire post me, tollat crucem suam (ex-me scilicet imitatione) & sequatur me. Quid enim est eum sequi, nisi imitari? Demum post profundissimæ demissionis opus, quo discipulorum pedes lavit, disertè dicit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, Joann. 13. 15. Lutherus docet, præter fidem omnia indiferentia, neque inter legendum Evangelium esse intuendum in opera, seu exempla Salvatoris, eoque nomine sibi præ cœteris placere Evangelium Joannis, quod pauca habeat de operibus Christi, in præfat. nov. Test. Non esse opera Christi hominibus inculcanda, & cujusmodi exemplum nobis Christus præbuerit: Christi enim opera esse minimam, & vilissimam portiunculam in Christo, eaque in re Christum ceteris Sanctis parem esse. Tom. 3. Germ. in admonitione ad Argent. Si alterutro carendum esset, vel operibus, vel verbis Christi, modis omnibus mallem ignorare Christi facta, quam ejus verbis, & concionibus privari; non enim multum Christi opera mihi profunt, sed verba ejus dant vitam. Quasiverò Christus prædicatione, non verò obedientiâ, passione, sanguine suo, morte nos redemerit, uti toties in Scripturis Sacris inculcatur.

Vide

Vide ergo, quomodo Doctorum vestrorum doctrina sit conformis Scripturæ Sacrae.

II. Timorem judiciorum Divinorum hi Doctores tollunt ex cordibus fidelium, quem sacra Scriptura inculcat, & commendat. Lutherus hunc dicit esse à Diabolo, Tom. 1. Germ. Witt. fol. 273. §. 3. *Cum tibi venit in mente Christi, velut Judicis, qui te villicationis, sive aetæ vite rationem reddere iussurus sit, tum pro certo, & explorato habens, eum non Christum, sed peccatum esse Diabolum.* Calv. Harm. in c. 22. Matt. *Neq; timendum est, ut in Dei judicium amplius peccata nostra veniant.* An hæc conformia sunt Scripturæ? Nonne Christus tali timore discipulos suos ad constantiam in cruciatibus excitabat dicens: *Time-*
te eum, qui potest & corpus, & animam
perdere in gehennam, Matth. 10. 28. Petrus, & Paulus Apostolus certè non ex Diaboli, sed ex Dei Spiritu, eodem timore incitabant fideles, ad quos scriberant, ut videre est 1. Petri 1. 17. ubi injecta mentione Dei judicantis secundum unicujusq; opus, consequenter additur: *In timore in-*
solatus vestri tempore conversamini. Et c.
4. 18. *Si justus via salvabitur, impius, &*
peccator ubi parebunt. Itaque & hi, qui pa-
tiuntur secundum voluntatem DEI, fidei

creatori commendent animas suas in beneficio
etis. 1. Cor. 10. 12. Itaque qui se existimat
stare, videat, ne cadat. 2. Cor. 5. 10. Omnes
nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. & mox additur: Scientes ergo timo-
rem Domini hominibus sicutademus. Philip.
2. 12. Cum metu, & timore salutem vestram
operamini. Sed & ipse Paulus, certe non
ex Diaboli, sed ex Spiritu Sancti sugge-
stione judiciorum Divinorum timore se
stimulabat, cum 1. Cor. 4. 4. scriberet: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justi-
ficatus sum, qui autem me judicat, Deus est.*
Et c. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in ser-
vitutem redigo, ne forte, cum aliis prædica-
verim, ipse reprobus efficiar.* Alia omitto.

III. Uterque docet variis in locis fide-
les in omni opere peccare graviter, quan-
tumcumque conetur quis bene operari. Lu-
therus in cap. 5. Matt. Tom. 4. Germ. Wit-
temb. ipsam Orationem Dominicam dicit
non posse recte dici sine execratione. *Mira hæc est, & absurdæ doctrina, homi-
nes sanctos, Deoque charissimos, quos
Deus, ut loquitur Apostolus Eph. 1. 6. gra-
tificavit in dilecto Filio suo, si spectentur
cum suis operibus quibuscumque, in DEI
conspicu morte, & interitu dignos esse,
nec ab his quidquam, nisi vitiosum pro-
dire posse. Frustra ergo scribit Apost. ad
Colos,*

Colof. 1. 10. ut ambuletis Deo dignè per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, &c. qui dignos nos fecit in partem fortis Sanctorum. Quis credat hominem justum, qui pro gratiæ sibi à Deo datæ viribus conatur Deum super omnia diligere, ei credere, &c. hoc suo conatu mortis reatum incurrere, uti vult Calv. L. 3. c. 14. §. 10. ajens: *Nos cum omnibus conatus nostris, & studiis morte, & interitu dignos esse.* Quis credat, quod, dum juxta præscriptum Salvatoris remissionem peccatorum petimus, & dicimus humili corde: *dimitte nobis debita nostra,* hoc ipso actu committamus novum peccatum, novum incurramus debitum, dum Deo reconciliari petimus, nos interitu dignos reddamus?

IV. Docent, uti supra innui, peccata non nocere fidelí, contra id, quod dicitur Psal. 5. 7. *O disti omnes, qui operantur iniuriam.* Sap. 14. 9. *O odio sunt Deo impius, & impietas ejus.* Sap. 1. 5. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, &c.* corripieatur à superveniente iniquitate. 1. Joan. 3. 8. *Qui facit peccatum, ex Diabolo est.* ¶ 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* ¶ 10. *In hoc manifesti sunt Filii Dei, & filii Diaboli.* Id est: in hoc seipso discernunt filii Dei à filiis Diaboli, quod

is, qui peccatum facit, filius sit Diaboli;
at verò filius Dei peccatum non facit,
quamdiu est, & persistit esse Filius Dei.

V. Scriptura Sacra ad omnem vitæ honestatem instruit, puritatem vitæ, & castitatem possibilem esse docet, & svadet: Lutherus verò quid de hac sentiat, pudet vel in medium adducere. Ait ille Tom. 5. Lat. Wittenb. Serm. de Matr. & in 1. ad Cor. 7. fol. 119. apud Lufft impressa Anno 1554. *Ut non est in meis viribus sicutum, ut vir non sis, tam non est mei juris, ut absque muliere sis. Rursum: Ut in tua manu non est, ut fæmina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas; nec enim libera est elec[t]io, aut confilium; sed res naturā necessaria, ut marem fæminæ, fæminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc, quod Deus ait: Crescite, multiplicamini, non est præceptum, sed plus quam præceptum: Divinum puta opus, quod non est nostrarum vi[r]ium, ut impediatur, vel omittatur, sed tam necessarium, quam ut masculus sis, magisq[ue] necessarium, quam edere, bibere, mucum emungere, somno, & excubii intentum esse, neque possibile est, ut castus permaneas. Eodem Tom. ait Serm. de Matr. Reperiuntur interdum adeò pertinaces uxores, quæ etiam decies ad libidinem prolabatur maritus, pro sua duritia non curant. Hic opportunum*

tum est, ut maritus dicat: Si tu nolueris, alia volet; si Domina noluerit, veniat ancilla. De capt. Babyl. de Matr. Si mulier impotentem habeat maritum; vel cum consensu viri alteri misceatur; vel si vir consentire nollet, consulerem, ut, contracto cum alio matrimonio, aufugeret in locum remotum. Digna sanè Ganeone, & Scurrâ Epicuræ doctrina, à qua vel gentilis ingenuus abhorrebit. Doctrinæ huic accedat & illud, quod præcepta Divina implere non simus obligati; quod habenti fidem nihil impunitetur ad culpam; quod omnia ejus opera fiant Deo præordinante, & impellentes quam facile Luthericola incidet in fornicationem, vel adulterium. Si verò abstinerit, non doctrinæ Lutheri, sed gratiæ Divinæ, & suæ ingenuitati referat in acceptis. Non sic certè discurrit Paulus Apostolus, qui pro fundamento ponens omnia nos posse cum gratia Dei, Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Continentiam tanquam Deo acceptam commendat, & svadet, 1. Cor. 7. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* ¶ 8. *Di-
co non nuptis,* & viduis, bonum est illis, se-
sic permaneant, sicut & ego. ¶ 27. *Solu-
tus es ab uxore? noli quarere uxorem,* ¶ 37. 38. *Qui iudicat servare Virginem suam,
bene facit: qui matrimonio jungit Virginem*

suam, bene facit: qui non jungit, melius fas cit. ¶ 40. *Beator erit, si sic permanserit.* Apoc. 14. 4. *Dicuntur specialē gloriā habi turi, qui castitatē servārunt.* Matt. 19. 29. *promittitur vita æterna permittenti Christi causā uxorem.* Eodem cap. Eunuchos, qui se castrarunt propter Regnum Dei, id est, quod continenter vixerunt, & caste ex animi proposito, non damnat, sed imitandos s vadet; dum ait: *Qui potest capere, capiat, id est, qui potest hos imitari, imitetur.*

Vide ergo, quam sit contraria Sacrae Scripturæ, quam foeda Lutheri doctrina, juxta quam, si vera esset, omnes, qui extra Matrimonium reperiuntur, immo & cō juges, infirmo, vel absente altero, fœdam, impudicam, & Deo exosam vitam deberent ducere; si, ut Lutherus ait, opus hoc non est in nostra potestate, ut impediatur, vel omittatur; sed tam necessarium, quam ut masculus sis; magisque necessarium, quam edere, bibere, purgari, mucum emungere, somno, & excubiis intentum esse: neque possibile esse, ut castus permaneas.

Luth. Rogo, ne fatiges te in recensendi his, & similibus, viderit Lutherus, vel Calvinus, quid senserint, quid docuerint; errores ego in illis nou laudo, non innitor

tor ego doctrinæ Lutheri, sed verbo Dei.
Calv. Neq; mihi est regula credendi Cal-
 vinus, sed verbum purum Dei. *Unit.* E-
 go similiter non plus concedo authorita-
 tis Serveto. *Cath.* Hæc dicentes consi-
 derate, quæso, si in his, & similibus, quæ
 longum esset recensere, tam turpiter er-
 rârunt vestrarum Religionum primi Pro-
 phetæ, quomodo creditis eos esse à DEO
 missos, ad Ecclesiam reformandam? quo-
 modo potestis confidere salutem vestram
 doctrinæ eorum? quomodo potestis vo-
 bis persuadere, quòd in reliquis etiam ~~non~~
 non erraverint capitibus, maximè circa
 altiora mysteria, qui in planis turpiter ce-
 ciderunt? Si primi vestrarum Religionum
 Authores ita errârunt; quomodo non
 errabunt eorum discipuli? credibiléne,
 est, quòd Spiritus Sanctus suos Prophetas,
 per quos idolatriam voluit sublatam,
 & Ecclesiam reformatam, in tales errores
 labi permiserit? Certè si aliquis Evange-
 listarum vel semel falsum dixisset, docu-
 isséte, meritò de reliqua tota ejus do-
 ctrina dubitaretur; mendaci siquidem ~~non~~
 nec tunc creditur securè, dum verum di-
 cit: & in qua Religione vel unum erro-
 rem deprehendimus, scimus certè doctri-
 nam ejus non esse à Deo, nec esse posse.
 Perpendite & illud, si vestrarum Religio-

sum authores, dum se ab Ecclesia separâ-
 runt, dum Sanctorum Patrum doctrinam
 contempserunt, tam turpes errores pro-
 veritate sunt amplexi; an vos, vel Pasto-
 res vestri eorum vestigiis insistentes, simi-
 liter errare non possitis? Eritisne perspi-
 caciiores Luthero, vel Galvino? plûsne
 vobis fidere potestis, quam illis, qui non
 nisi purum putum Verbum Dei se prædi-
 care jaetabant? suam totam doctrinam
 Verbo Dei prorsus esse consentaneam
 crepabant? Advertite, quæso, charissimi,
 vel ideo Deum permisisse illos tam tur-
 piter errare, ut videatis, quam periculo-
 sum sit ab Ecclesiæ doctrina recedere, ac
 proprium judicium temerè sequi. Certè
 si in Romana Religione vel unus error
 inveniretur, jam certi essemus eam non
 esse profectam ex Schola Spiritus Sancti,
 sed è patre mendacii; at haec nemo
 inventus est, qui vel unum falsum articu-
 lum fidei nobis exposuisset. *Luth.* Mul-
 ta vobis objiciunt Pastores nostrarum Re-
 ligionum. *Catb.* Sic est, objiciunt, vel
 mendaciter nobis imponendo, de quibus
 ne somniavimus quidem, vel non intelli-
 gentes fundamentum doctrinæ nostræ, ex
 levibus suis rationibus calumniantur pu-
 ram veritatem: si quem haec nemo articu-
 lum nostrum oppugnârunt, argumenta-
 corum

(179)

eorum facili negotio in fumum abiērunt.

Cath. Satis dictum hac vice : pergam
mus potius ad visiçandum Theodorum
auum ; audio enim illum graviter decum-
bere. *Cath.* Faciamus charitatis opus æ-
grotanti.

DISCURSUS DECIMUS NONUS.

Theodorus Romanam Religionem
amplexus, gravi morbo corripitur : dum
cum morte luctatur, rationem reddit,
cur in Ecclesia Romana moriatur.

Cath. **Q**uî vales mi Theodore ? en adsu-
mus, si fors quod levamen ex
noſtri preſentia capere possis. *Theod.*
Salvete boni viri ! Deus rependat opus
charitatis ægro impensum. Corpore pro-
stratus indicibiles fentio dolores; animus
verò superabundans gaudiō, conscientia
nuper à peccatis expurgata hos supra-
modum lenit. *Cath.* Manifestè hoc mor-
bo te Deus punit, quòd Romanam ample-
xus sis Religionem. *Lutb.* Sic est, idem
fentio & ego. *Unit.* Restè hoc dicere &
ego volui. *Theod.* Ego verò in hoc gra-
vissimo morbo, Medicorum sententiâ mi-
hi supremo, id unicum solatii habeo, quòd
hanc Religionem sim amplexus ; quod si

hactenus non fecissem, jam præstarem. Sed & vobis unicè svadeo, ac per Christi vulnera vos obtesor, ut eam amplectamini Religionem, quam ad confinia mortis deduxi, in qualibus me constitutum videtis, voletis tenuisse; cujus justam rationem, cum ad tribunal Christi stabitis, reddere possitis: de rebus enim agendis, non potest melior institui deliberatio, quam, quod illud deligamus, quod nobis in illo articulo plurimum poterit prodefesse; illud vitemus, quod nobis tunc obesse, vel saltem periculum adferre possit. Talis autem est Religio Romana, quam in illo articulo, quam instantे morte omnibus aliis præseremus. *Lutb.* Cur, quæso? *Theod.* Audi causas, & nota.

Primò quidem veritas mei dicti confirmatur, & stabilitur plurimorum exemplō, qui, et si hæreticè vixerunt, quando tamē moriendum est, cupiunt mori Catholice, judicantes id esse securius. Certè gemma illa Religionis tuæ Philippus Melanchton, in articulo mortis constitutus, interrogatus à matre sua, jam Lutheri collente Religionem, ut sibi diceret, quænam è tot diversis Religionibus cæteris præstantior esset? Respondit: Romanam cæteris esse securiorem.

Secundò, quia quisque in illo articulo

con-

constitutus, optat plurima se bona opera
secisse, & magnō studiō peccata vitāsse,
ad quod utrumque efficaciter inducit Ro-
mana Religio, ad neutrum vestra; sed po-
tiū ad bonorum operum contemptum,
& omnem vitæ licentiam.

Tertiò, quia Religio Romana, quam amplexus sum, habet multa remedia pro confilio vitæ; habet pœnitentiam, habet absolutionem Sacerdotum, habet Sacramentum Extremæ Unctionis, & SS. Eucharistiæ, quæ mihi, & omnibus fidelibus in hoc articulo magnam consolationem adferunt; his enim satisfactio Christi nobis communicatur. Quid verò habent Religiones vestræ? nudam jaētant fidem specialem, frigidam valde, & imbecillem pro hoc articulo, in quo nullus sibi persuadere fieri poterit, Christum sibi esse propitiū, se esse justum, & salvandum per Christum, qui remedia à Christo instituta contemnit, & extra communionem Ecclesiæ Catholicæ mori constituit. Omnia Religionum Ecclesiæ Romanæ contraria rum Cultores, fidem hanc jaētant, & tamen non omnes salvi fiunt; unica enim est vera Christi Religio, extra quam nemini est salus, uti fateri debetis: ergo nihil proderit illa vestra fides specialis, nisi Christi veram Ecclesiam teneatis. Exem-

plum dedit ex magna oriundus in Dacia
familia Sacerdos, à Religionē, & fide Apo-
stata, qui morti vicinus, non à fide speci-
ali remedia malè actæ vitæ petiit, sed Sa-
cerdotem, per quem à peccatis solvere-
tur, ac Ecclesiæ gremio restitueretur, cum
lachrymis expetiit; & quia hunc, impedi-
ente uxore, sacrilega vitæ socia, obtinere
non potuit, de salute æterna desperans,
inter blasphemias animam evomuit.

Expecto, ut videtis, supremum momen-
tum, mors mihi præ foribus est, brevi ad
Tribunal Christi Judicis stabo, interrogabórque, cur Romanam potius, non verò
vestram Calvinianam, Lutheranam, vel U-
nitariam amplexus sim Religionem? As-
respondebo cum magna securitate, facti-
que mei rationem dabo. Dicam: ideo
me Romanam Religionem amplexum es-
se, quia hæc docet à terrenis rebus avo-
care animum, & transferre ad amorem
Cœlestium. Ideo, quia hæc docet carnem
domare, & Dei timore configere, bonis
operibus insistere, Superioribus obtempe-
rare, orationi vacare, mandata Dei ob-
servare, & omnem licentiam peccandi
præscindere. Dicam: ideo me Romanam
plexum esse Religionem, quia yidi Re-
ligioni huic singulis sæculis per miracula
plurima à DEO testimonium perhiberis;
quia

quia vidi in hac Divinas promissiones impleri; vidi enim hanc esse per orbem universum diffusam; ad hanc factam esse hactenus conversionem gentium, & assidue fieri. Vidi in hac sumam esse Doctorum omnibus fæculis in capitib⁹ fidei concordia. In hac perpetuam successionē Cathedræ, & Ministrorum omnium cum Apostolis connexionem. Vidi hanc esse fundatam super petram, contra quam omnes hæreses, & persecutioes Tyrannorum, omnes portæ inferi non prævaluērunt. In vestris vero Religionibus, cùm contraria palpaverim, respondebo securè, nullam me habuisse rationem vestras amplectendi.

Verum, ut alia omittam, nōnne satis mihi erit respondere coram Divino Tribunali, ideo me amplexum esse Romanam Religionem, quia vidi in hac vixisse, hanc sequatos esse viros sanctissimos ex omni statu, & natione, Bernardos, Franciscos, Dominicos, Martinos, Stephanos, Ladislaos, Emericos, Henricos, Ludovicos, Venceslaos, Gasimiros, Leopoldos, Edvardos, & alias omnes, qui cœlesti conversatione, & stupendis operibus mundo suêre admirationi; proindeque me iudicasse, fieri non posse, ut illæ cœlestes animæ, Deo adeò devotæ, & addictæ, adeò charæ

charæ, & familiares, in re tanti momenti,
ut̄ est fides, sint deceptæ, securéque me,
in negotio Religionis horum vestigia se-
qui, illam Religionem amplectendo, quam
illi tenuerunt.

Vos verò, qui cum Luthero, Calvino,
Serveto à Romana Religione recessistis,
cùm ad Tribunal Dei stabitis, quid ratio-
nis estis daturi, quòd ad eandem non re-
dieritis? an plebejum illud rep̄onetis?
quia parentes vestri hanc, v. g. Luthera-
nam, coluerunt? At num subsistet coram
Deo hæc ratio, ex qua pariter sequitur,
vos debuisse permansisse in Mahumeta-
na, vel Sabbataria, si parentes vestri illam
coluissent?

Dicetis fors Judici æterno, ideo vos
Romanam deseruisse, vel non coluisse,
quia putabatis esse plenam idolatriā,
superstitionibus, Traditionibus humanis?
vel quòd existimaveritis Papam, qui ei
præest, esse Antichristum? Vel certè, quòd
judicaveritis Romanæ Religionis cultores
non in Sangvinis Christi pretio, sed in su-
is duntaxat confidere meritis? Sed quid,
si tunc detersâ Diaboli fascinatione, quæ
jam mentem occupat, videatis vos clarè
deceptos, nullō amplius pœnitentiæ, &
resipiscentiæ loco concessō, quid consilii
capietis? An fortè ignorantiam allegabi-
tis?

tis? At hæc vos non excusabit, quia facile veritatem agnoscere potuissetis; si emam diligentiam, quam res postulat, præstissetis; semper habuistis rationem justam vos stimulantem ad hoc, ut prudenter dubitaretis de his, quæ mendaciter Catholicis imponuntur. Sicut ergo Judeos non excusabit, quod per ignorantiam erraverint, quia veritatem cognoscere potuerunt; ita nec vos excusabit. Ut enim cum Luthero, Calvinio, Serveto absque flagitio possetis à Catholicis Romana recedere Religione, oportebat non solum *putare*, & ob leves aliquas suspiciones opinari, sed certissimè *scire*, & omni affectu seposito exploratissimum habere, illa vitia Romanæ Religioni inesse, ut nullus amplius in animo relinqueretur scrupulus, nulla justa causa dubitandi; vos vero ejusmodi certitudinem de erroribus Ecclesiæ non habuistis, immo nec probabilem dubitandi rationem.

Quâ enim probabilitate, & specie veritatis vobis persuadere poteratis, eam Religionem esse idolatriæ, & tantis erroribus obnoxiam, quam videbatis à tots sapientiâ, & sanctitate vitæ illustrissimis viris, tot annorum centuriis cultam? quam videbatis tot miraculis, & Martyriis confirmatam? quam toto orbe diffusam?

sam? in qua & summam Doctorum concordiam, & perpetuam successionem, & claram cum Apostolis connexionem cenebatis? Videbatis, quod nullus Sanctorum, nullus Doctorum hanc idolatriam, has superstitiones notaverit, quod ab eis procul dubio animadversum fuisset, si quae in Ecclesiam irrepissent; proinde vel probabili argumento carebatis.

Rursum quomodo in animum induce-
re poteratis, eam Religionem esse veram,
& à Christo Domino fundatam, quæ De-
um auctorem, & impulsorem scelerum o-
mnium statuit? quæ hominibus liberta-
tem arbitrii eripit? quæ studium honorū
operum è medio tollit? quæ portam la-
tissimam omnibus sceleribus, non minùs
quam Atheismus aperit! quæ hominem
præceptis, & Legibus Divinis sub specie
libertatis Christianæ eximit? quæ anti-
quas, & damnatas hæreses plurimas re-
novat? Cujus authores nullâ vitæ auste-
ritate, nullâ morum sanctimoniam comen-
dati, nullis miraculis clari, sed homines
earnis voluptatibus dediti, terrenarum
rerum cupidi, ambitiosi, maledici, sediti-
osi, apostasiâ, & sacrilegis nuptiis, vel
præpostera libidine infames, inconstantia
doctrinæ incredibili fuerunt.

Denique, si aliqua ex vestris Religioni-
bus

bus est vera: ergo concidit per tot sacerdotes Christi Ecclesia, eversum est Christi Regnum, evacuatæ sunt Divinæ promissiones de Ecclesiæ firmitate, & stabilitate, prævaluerunt adversus Ecclesiam Christi portæ inferorum. Ergo tot sacerulis frustra prædicatum est Evangelium, frustra creditum, frustra tot gentes à Paganismo conversæ, frustra baptismus, & alia Sacra-menta administrata, frustra suscepta jeju-nia, & carnis mæcerationes, frustra obita Martyria, & tot milliū sangvis pro Christi confessione frustra est effusus. Ergo peri-ērunt omnes majores nostri, periērunt SS. Patres, periērunt Martyrum, & Confesso-rum tot myriades; tot DEO devotæ ani-mæ, sanctitate, miraculis, prophetiæ spi-ritu illustres periverunt: omnes enim ve-ræ Religionis, veræque justitiae expertes fuissent, omnes idolatriæ addicti.

Quod si hæc falsa, blasphemæ, vel cogi-tatu horrenda sunt; qui fieri potuit, ut non adverteretis Religiones vestras, ex quibus tam atrocia clarè deducuntur, falsas esse, vel saltem de iis non dubita-veritis? Si dubitâstis, cur non deditis ope-ram cognoscendæ veritati, ex qua sal-lus vestra suspensa est.

Monuit Dominus, ut attentè nobis ca-yeamus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos

nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quomodo non vobis in mentem aliquando venit, cogitare, vel vereri, ne fors Lutherus, Calvinus, Servetus, & similes ex numero sint illorum, à quibus Dominus cavendum monuit? Hi enim pulchra specie Verbi Divini, & puri Evangelii obiecti prodierunt, quasi à Deo missi ad ovium salutem, & interim ipsas oves venenato doctrinæ suæ pabulo perdiderunt. *A fructibus inquit eorum cognoscetis eos.* Qui verò frustatus? Seditiones, bella, expilatio, & evenio Ecclesiarum, Monasteriorum, vastatio urbium, extincio antiquæ pietatis, sublatio jejuniorum, ac aliorum bonorum operum, concessa votō castitatis obstrictis nubendi copia, omnium scelerum licentia.

Scimus ex Apostolica informatione multas hæreses novissimis temporibus exorituras, multos Pseudo-Prophetas, & seductores comparituros in lucem. Quoties ergo nova aliqua doctrina, Ecclesiæ adversa emergit, ea nobis ut minimum suspecta cum suo authore habenda est.

Ego igitur dum in Romana, nuper misericorditer DEO suscepta Religione placide morior, ac per merita Christi gaudia vitæ æternæ spe firma expecto, vos imprimis

præ-

præsentes, tum omnes reliquos, qui extra Romanam estis Religionem, per bonitatem Dei, quâ conditi, per sanguinem Christi, quô redempti sumus, per æternam hæreditatem, quam in Cœlis expectamus, per torrentem voluptatis Divinæ, quâ potabuntur veritatis cultores, rogo, & obtestor, ut negotium istud quam maximè cordi habeatis, ac perpendatis, an solidio nitamini fundamento, an securi futuri estis de Religione vestra in hora mortis, & cùm ante districti stibitis Tribunal Judicis, in illo articulo, dum immutabilem, æternamque excipietis sententiam. Plura vobis exponere non valeo, nam momentum resolutionis meæ instat, quod non metuo, Christô siquidem me frumentum spero. Recedite jam, & si placet, cum Domino Catholico discurrите, dum ego necessariis pro agone munitus Sacramentis, animam Creatori meo commendabo. Valete. *Cath.* Commendo te Frater charissime Deo omnipotenti, ut, cùm humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad authorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris.

Unit. Pulchrè dispositus decedit hac evita Theodorus noster. Quid, quæsor, ulterius loqui voluisset, si ei per vires licuisset? *Cath.* Addam ego aliqua ad ejus discur-

discursum spectantia, si molestè non fera-
tis. *Iuth.* Dicas securè, quod sentis.
Quæ ab illo audivi, cordi mihi sumo, in
hora mortis sincerè sentire, & loqui so-
lent mortales, usu rationis non destituti.
Cath. Continua, quæso, ejus discursum,
qui mihi cor penetravit.

Cath. Cogitate, quanta pœna vos ma-
neat, si Religio, quam tenetis, re ipsa hæ-
resis sit, si non Reformati, vel Evangelici,
utì vos jaſtatis, sed hæretici sitis. Expos-
sui vobis superiùs, quantum malum sit
hæresis, quæ hic non repeto, nisi summa-
tim: quòd nimirum contineat summam
superbiæ, multas atroces blasphemias,
multa maledicta, & convitia, multa sacri-
legia, & maximum, nocentissimumq; odi-
um in Ecclesiam Christi Sponsam. Hæc
enim quasi intrinsecè hæresi insunt, & ha-
bitualiter hæresis ad hæc inclinat, ac quo-
tidie ad hæc excitat, impellitque; ita, ut
majus peccatum censendum sit hæresis,
quam omnia peccata fidelium.

Perpendite proinde, si Religio, quam
colitis, hæresis est, quantum vobis erit e-
jus supplicium. Maledicetis deceptoribus
vestris, & magistris, qui vos ad oceanum
miseriarum deduxerunt: maledicetis Dia-
bolo, qui vobis illusit sub specie pietatis:
maledicetis vobismet ipsis, quòd doctri-

nam novitiam absque diligentí examine suscepitis; quod in re tanti momenti exploranda tam cœci, tam socordes fueritis. Insuper æternitate tota, quam diu Deus erit Deus, inexplicabilia, quæ nec in mentem venire possunt, oportebit vos sustinere gehennæ supplicia.

Ne ergo in illud miseriarum pelagus præcipites ruatis, Religionis negotium omni studiō, & diligentia discutite, peritissimis etiam ad eandem rem consultoribus adhibitis.

Unum autem est, quod maximè officere solet, ne quis de vera Religione amplectenda sincerè deliberare valeat, nimirum: anticipata quædam opinio, quâ plurimi persuasum habent, quod in Ecclesia Romana sit, nescio, quæ idolatria, superstitiones, abusus, errores quam plurimi.

Primò ergo, per omnia sacra vos obtestor, seponite parumper hoc præjudicium, & cogitate, vos in hac persuatione falli posse. Incredibile enim videtur, viros sanctissimos, & doctissimos, quales Ecclesia semper habuit plurimos, hanc idolatriam, has superstitiones, & abusus, si qui fuissent, non vidisse; vel si vidissent, non vrejecisse, sed sedulò retinuisse, & coluisse. Et tqua est hæc Mahumetanoru, & Iconomachos.

machorum de idolatria calumnia. Et nunquam fuit ulla hæreticorum secta, quæ infestis animis ab Ecclesia non discederit, eique graves errores non imposuerit. Hoc enim prætextu hæreses debent uti, ut jure videantur ab Ecclesia recessisse.

Deinde à Deo flagitate lumen assidue, quò clarè possitis cognoscere, quæ sit vera Christi Religio, veraque Ecclesia, paratosque vos DEO exhibete ad eam amplectendam. Fides enim est donum DEI. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Joan. 6. Matt. 11. & 16. Nemo sine Patris Cœlestis illustratione ad Christum per veram fidem venire potest: hanc ergo illustrationem, & hunc tractum precibus assiduis obtinere satagite. Dicite cum Propheta: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne, quando ex vita discedam, dicat inimicus, prævaluí adversus eum. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deducant, & adducant in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis salutis meæ: Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es. Et similia.

¶
Præterea oratione jungite eleemosynam,
& beneficentiam in pauperes, quantum e-
nim valeant hæc duo ad lumen veræ Reli-
gionis à DEO impetrandum, ostendit ex-
emplum Cornelii Centurionis, cui ab An-
gelo dicitur: *Corneli, orationes tuae, O*
Eleemosyna tua ascenderunt in memoriam
in conspectu DEI. Et nunc mitte viros in Jop-
pen, O accersi Simonem quendam, qui co-
gnominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te
oporteat facere Act. 10. Hujus exemplum
imitemini, si à DEO in negotio veræ Reli-
gionis dirigi optatis.

Interea diligenter, & magnō cognos-
cendæ veritatis studiō propendete ad ea,
quæ vobis in discursibus præteriorum di-
erum proposita sunt: & si quæ dubia adhuc
habetis, vel non satis intelligitis, adite
Doctores Catholicos, qui facile vobis in o-
mnibus ita satisfacient, ut tandem mens-
vestra plenam quietem in luce veræ Reli-
gionis affequatur.

Credidisset, hæc voluisset vobis dixi-
se Theodorus, qui mortalitatis penso per-
soluto, ubi in conspectum DEI venerit, pro
vobis precabitur, ut ad gremium Ecclesiæ
Catholicæ reversi, DEUM in opere orati-
vistro glorificetis, & post hanc morta-
lem vitam, ad gaudia Cœlestia per-

veniat. Amm.

F I N S.

RA 1988

